
BIBLIOTECA
NAZIONALE
VITT. EMANUELE
ROMA
8
39 I
6



FLAVII ALEXII VGONII NOBILISSIMI CIVIS. BRIXIANI,

De maximis Italiæ atque Græciæ calamitatibus.

Reliqua uide pagina sequenti.

Cum priuilegiis Principum, & permissione Catholicæ Inquisitionis.



IN ACADEMIA VENETA,
M. D. LIX.



De Chriſti pace, atque ciuili concordia.

De Dignitate atque præſtantia Reip. Caſinenſis.

Ad Cardinalem Polum epiſtola.

Ad Abbates S. Benedicti, in Concilio Tridentino congregatos.

Epitaphium in obitu Baſilii Leonis Mantuani.

Conſolatoria ad amicum in morte uxoris.



ILLVSTRISS. ET EXCELL. SABAVDIAE DVCI, DOMINO ET PATRONO NOSTRO BENIGNISSIMO.

DIGNVM est humanitate ac benignitate tua, maxime Princeps, qua patrocinium rerum nostrarum suscepisti in omnibus prouinciis & regionibus tuæ prudentiæ uirtutiq; à Catholica Maiestate, consobrino tuo, tui studiosissimo, Philippo, Hispaniarum Rege, commissis, ut & à nobis omnibus communiter, & separatim à singulis, ubicunque detur occasio, aliqua nostrorum animorum grata significatio præbeatur. quocirca, quẽadmodum Academiæ nostræ iurisconsulti, egregio libro cum tui nominis inscriptione edito, iam instituerunt, quia te Principem esse intelligerent & à natura factum, & disciplina institutum ad obseruãdas tuendasq; leges tum in publicis imperiis, tum in priuatis iudiciis: ita nos aliquid ex nostra sciencia sumendum, ad teq; mittendum statuimus. quo consilio multa diligenti studio paramus. Interim cum esset apud nos de calamitatibus Græciæ & Italiæ dialogus, scriptus ab opti-

 mo

mo & excellenti uiro, qui summa te colit ob seruantia, intimoq; ex animi sensu diligit, Flauio Vgone; in eam sententiam facile conuenimus uniuersi, ut eum librum tibi dedicaremus; cum audiremus à multis, eò potissimum spectare tuam mentem, ut omnis tibi regendarum ciuitatum ratio nota sit, quæq; tuæ potestati aut iam à Deo commissa sunt, aut in posterum imperia committentur, in iis nihil omnino fiat, quod ab ipsius Dei uoluntate dissentiat. quam cognitionem non aliunde constat emanare, quàm si quis aduersos pariter & secundos ciuitatum prouinciarumq; euentus animaduertat. neque uero exempla ulla esse possunt uel florentis, uel afflictæ fortunæ clariora, quàm Græcia, & Italia; quæ quamdiu bonis Principibus & legibus usæ sunt, stetit utraque cum maxima dignitate, & aliis etiam prouinciis imperauit, honestis uero studiis repudiatis, & legum seueritate neglecta, miserrimam utraque fortunam subiit, & in acerbissimas incidit calamitates. Propterea gratum tibi, & utilem fore librum, qui cum tui nominis illustri titulo diuulgatus à nobis est, existimauimus. in eo enim commemorantur quæcunque duæ illæ, de quibus meminimus, prouinciæ par

tim

tim perpessæ sunt, partim etiam adhuc susti-
nent. cuius infelicitatis causas ubi cognoue
ris, miram prudentiam hauries in publicis
rebus, & augebis, si modo accessioni locum
reliquisti, constantiam illam tuam in dura
atque difficili fortuna, quam sensisti ab ineun
te ætate, atque etiam nunc sentis: ex qua ta
men beneficia cepisti duo, omnibus imperiis
anteferenda, atque illud primum, quòd in
ore uerseris omnium hominum, uiuetq; mul
torum in scriptis tui nominis memoria, &
eris præclarum exemplum in omni ætate in-
ter omnes eos, qui grauissima damna, atque
adeo iacturam uniuersam rerũ omnium for-
tissime tulerunt. Alterum est, quòd per tot
annos, tot in bellis cum inuictissimo Carolo
quinto Imperatore, & Catholica Maiestate,
eius filio Philippo firmum semper, & excel-
sum, minimeq; aduersæ fortunæ uiribus fra-
ctum animum ostendisti: idemq; scientiam,
& prudentiam in regendis exercitibus, & in
certaminibus tantam declarasti, quantam ne
mo est qui diuinis plane laudibus non effe-
rat; cum omnes in te maiorum tuorum uir-
tutem quasi reuiuiscere uideant, qua stirps
nobilissima & illustrissima Saxoniæ floruit,
unde originem ipse ducis, & unde tot exi-

mii Principes, tot Imperatores fluxerunt: quorum ſemper præclara uoluntas fuit, ac ſtudium ſingulare non modo in ſedandis diſcordiis, quæ inter Reges Principesq; Chriſtianos cum exitio multarum gentium emerſerunt, uerum etiam in oppugnanda potentia barbararum gentium, quæ Chriſti leges colentibus infeſtæ ſunt. contra quas ut hiſtoriæ ueteres grauiſsima bella à tuis maioribus eſſe geſta, magna cum eorum laude teſtantur: ſic qui noſtra in Academia hiſtoriæ ſtudio ſcientiaq; præſtant, mandabunt literis uirtutes tuas, & præclara facta, quæ tibi apud nos eam beneuolentiam & obſeruantiam pepererunt, qua te proſequuntur meritoq; in omni ætate proſequentur quicunque pro cuiuſque meritis afficiuntur, & rectam iudicandi rationem tenent: quandoquidem tuã ſingularem humanitatem & benignitatem non minus re, quàm uerbis, nemo non, uirtute præditus, quotidie experitur.

Illuſtriſsimæ, & excellentiss. D. V.

ſtudioſiſsimi ſerui,

Philoſophi morales Academiæ Venetæ.

FLAVII ALEXII VGONII, NOBILISSIMI CIVIS BRIXIANI, de maximis Italiæ atque Græciæ calamitatibus, DIALOGVS.

GRAECIA, ITALIA.

GRECIA. Quid ploras Italia? quid ex intimo cordis affectu suspiras? quid mæro re absumeris? ITALIA. uulnerata undique ac dilaniata, possum ne nõ sũmopere tristari, atque angi? GRAECIA. Miror equidem, cur tantis assueta malis iam callum dolori non obduxeris: cum sapi ens ille dicat, ab assuetis non fieri passionem; atque ita, ut sese offert sors, æquo animo minime accipias. ITAL. Fit quidẽ, Græcia, etiam ab assuetis pasio: talisq; est rerum natura, ut in bonis illa ipsa oblectetur, & in malis pro longa temporis cõsuetudine obdurescat. atque ideo in aduersis ingemiscunt semper, patiunturq; omnia, sed minus certe quæ malis

aſſueta uidemus. Nouus miles ad omnia pauet, ſibi omnia timet, & ex minimo quoque belli ſtrepitu contremiſcit. at contra ueteranus intrepide quidem aggreditur omnia, ſtrenueq; ille ipſe agēda exequitur, & non ita facile difficultatibus cedit. GRAEC. Hoc utique luce clarius uidetur, omnes in aduerſis dolere, & in proſperis è contrario gaudere. Principio enim generi animantium omni eſt à natura tributum, ut ſe, uitam, corpusq; tueatur, declinetq; ea, quæ ei nocitura uideantur. ſed nimium, Italia, te uideo mollem, ac delicatam. Atque hinc eſt, quòd minima quæquè mala tibi ſumma, ſimulq; noxia eſſe uidentur. tota enim iaces: tota confuſa es: ſed ſi philoſophari libet, uidebis in ſapientis animū nullam pene cadere ægritudinem, atque illi in utraque fortuna eundem eſſe animum. Quapropter uellem, ut tuæ mihi ægritudinis cauſam patefaceres, perſuaſumq; haberes, omnibus malis, præ-

terquã morti, ac deſperationi, remedia aliqua inueniri poſſe. ITAL. Sic ne me irrides ò Græcia, cũ te modo ignorare calamitatum mearum cauſſam diſsimulas; quæ nimirum uniuerſo terrarum orbi, tanquam ſol, cognita eſſe uidetur? Sed non ita certe cum miſeris agendum eſt: quibus magis conſolationẽ afferre, quã dolorẽ addere debemus. GRAEC. Deũ ipſum obteſtor ò Italia iã totius orbis regina, minime prorſus te à me irrideri. miſera nanque, atque calamitoſa ego quoque cum eſſe uidear, magis meam deplorare ſortem, quàm aliorum miſeriam ridere debeo. Captiuitatem igitur tuam, cædes, ærumnas, factiones, ſeruitutem, ruinas equidem uideo: ſed hac in re ſupremæ illius poteſtatis conſilium, fatorum decreta, ſortis denique humanæ diſpoſitionem penitus ignoro. Atque hinc eſt, quòd ex te ſcire tantæ mutationis cauſam exoptarem, ut, illa cognita, nos inuicem philoſophando conſolari poſſemus. ITAL. Rem penitus difficilẽ ò

Græcia postulasti. ex prima nanque illa causa omnia pendent, quæ stabilis ipsa manens dat cuncta moueri. Quis uero cognouit sensum domini, aut quis consiliarius eius fuit? Incomprehensibilia nanque sunt iudicia Dei, & inuestigabiles uiæ eius. uarios autem cæli ipsius influxus, atque instabilem, & uanam sortis humanæ conditionem quis cognosce re potest? Sed diuinare, prout homines sapientissimi fecerunt, in huiuscemodi rebus, magis quàm aliquid certi in mediũ afferre possumus. GRAEC. Bene, ac sapiẽter loqueris. ITAL. Sed agamus pingui, ut aiunt, Minerua; & more sapientum non solum cognita, & quæ præ oculis habentur, sed etiam incognita discutiẽdo perquiramus. Quid igitur causæ esse putas, ut quæ olim iam dominæ prouinciarum, reginæ gentium, sedes imperii totius orbis fuimus, nunc seruæ, nũc omnibus pene prostitutæ, qui aliqua imperii gubernacula tenent, esse uideamur? ITAL. Diuinare, ut uideo, cupis tu

quidem

quidem omnino nos incipere, sed tibi morem geram, liberrimeq; quod sentio equidem dicam; modo ex his communi dolori, atque calamitati aliqua conso latio proficiscatur. GRAEC. Ita profecto erit, more eorum, qui dum male se habent, medicis, atque amicis summa cum diligentia morborum conditiones, atq; accidentia narrant; atque ita consilia, ac remedia languenti corpori utilia accipiendo, paulatim uel omnino sani, uel minus saltem infirmi euadunt. ITAL. Dicā ergo, sed hæc altius repetere oportet. Cum igitur summus ille rerum omnium auctor proposuisset creare hominem, in primis illum ad imaginem, & similitudinem suam fecit: postremo subiecit illi omnia, quæ iam ipse creauerat: sicq; gloria, & honore, ut magnus ille uates dixit, coronauit eum, & constituit eum super opera manuum suarum. liberum ergo, & nemini seruientem, immo omnibus imperantem creauit Deus homi-

nem:

nem: ita ut mulier, atque uir essent sicut Dii: sed quia abusi sunt libertate, sublimisq; ipsius Dei muneribus, ideo ex Paradiso deliciarum expulsi, quem gratia, non iure hereditario, possidebant, in seruitutem carnis, atque peccati inciderunt. Soli Deo opt. Max. Subiecti, quia noluerunt obedire, aliæ quoq; res ipsis subiectæ ab ordine naturæ suæ desciuerunt. Atque hinc est calamitatum omnium, ac miseriarum origo, atque principiũ. Bonus nanq; est Deus (ut sapiẽs ille dicebat) bona fecit, & bono nulla cuius quã boni inuidia est. GRAEC. Præclare philosopharis, Italia, &, ut omnibus uidere licet, plurium malorum causam hominum peccata, atque scelera esse existimo. quid tu? ITAL. hoc utique manifeste apparet: hac enim de causa diluuii aquis iam Deus ipse uniuersum hominũ genus deleuit, excepto iusto illo Noe, cum omnibus ex sua familia Deo amicis: pœnituitq; eum fecisse hominem. Peccati

quoque

quoque caussa ignem cũ sulphure è cælo immisit super Sodomam, & Gomorrhã, aliasq; ciuitates: sicq; omnes facinorosos, & obscœnos sustulit ex terra. Pharao diuinæ dum uoluit repugnare uoluntati, nolens dimittere populum, Aegypti primogenita, simulq; regnum, uitam, & armatas denique copias, quibus illum persequebatur, statim amisit. Nabuchodonosor, magnus ille rex Babyloniæ, qui rex regum dicebatur, & cui cæli Deus, ut Daniel propheta in sacra sua historia refert, regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dederat, dum uoluit tanquam alter Deus in statua aurea adorari, ex hominibus eiectus, & in desertum transportatus; fœnum, ut bos, comedit, & tanquam bellua cum belluis per septem annos uersatus est. Sed quid populus ille electus, qui pars Deiq; pariter hereditas dicebatur, ita ut filius ipsius Dei ex illo nasci, atque cum illo uersari non dedignatus sit,

ſit, nonne propter impietatem prophetiam, ſacerdotium, templum, regnum denique, patriumq; ſolum perdidit, captiuusq; inſuper ab omnibus tenetur, contemptuiq; eſt omni populo? Quid demũ magnus ille Angelus, hac de cauſa Lucifer dictus, quia plenus uirtute, forti tudine, ſapiẽtia, atq; gloria undique ſplẽdebat, nõne è cælo uelut fulgur elapſus in ima terrarum, relegatus tenetur? dicebat enim immemor, quantum in ſe diuini ſplendoris, atque gloriæ Deus habebat, id à ſe ipſo accepiſſe: ponam ſedem meam ad Aquilonem, & ero ſimilis altiſsimo. GRAEC. Iam equidem per ſpeculum, atque horum exemplum mihi clariſsime uidere uideor, quaſcunque ærumnas, atque calamitates ex nimio gloriæ appetitu, ſimulq; ex Dei offenſa prouenire. ad hoc enim mundus iſte factus eſſe uidetur, ut hominum ſaluti, atque neceſsitati inſeruiat: & homo ad hoc pariter eſt creatus, ut Deo opt. Max. obtemperet,

temperet, & illius diuinitate perfruatur: cui cum repugnare contendit, in aliis quoque rebus confunditur statim ordo naturæ. in primis nanque homo ipse dignitatem, atque excellentiam amittit, nihilq; amissa ratione à ceteris animantibus differt: cælum præterea, atque terram, & Deum denique ipsum sibi infensum reddit. ITAL. Hoc ita esse, nõ modo superiorum exempla, sed prouinciæ quoque ipsæ, regna pariter, & imperia, & totus denique mundus testantur. nam populi, qui iam imperabant, nunc seruiunt. gentes iam olim liberæ, nunc ita seruæ, ut etiam uinculis sint mancipatæ. imperium nunquam stabile fuit, sed modo huc, modo illuc translatum. Aegyptii, Medi, & Assyrii iam ipsi quoque erant rerum domini, nunc denique serui. Sed quid plura? cum omnia mortalium opera mortalitate damnata sint; penitusq; omnium rerum sit uicissitudo.
GRAE. Sed cur tanta in rebus humanis inconstantia atque confusio? multa qui-

dem ex hominum malitia, atque ex Dei offenſa accidere aduerſa arbitror. uerũ ſi hac ſolummodo de cauſa mala omnia euenirent, boni potiſsimum omnes imperarent, improbi uero ſeruirent, perpetuaq; apud ſapientes uiros imperii gubernacula manerent. Sed cum his contraria plerunque uideamus, regna ſcilicet, atque imperia in manibus improborum: quid cauſæ eſt, cur tam inſtabilis hac in parte rerum humanarum conditio eſſe uideatur? ITALIA. Nimium, Græcia, acute interrogas: ſed quid mirum, cum tu altius rerum ſtatum penetres? uerum quid ego? Nimio nanque dolore, atque triſtitia cum mens ſit affecta; quanã ratione pelagus tantæ diſputationis traiicere poterit? GRAE. Nemo certe magis dolere, atque triſtari deberet, quàm ego; quæ imperium, quæ libertatem, quæ diſciplinam militarẽ penitus amiſi: ut taceam de Chriſti pietate, de iuſtiſsimis legibus, de præſtantiſ-

ſimis morum inſtitutis, & de præclariſsimis litterarum ſtudiis, quibus undique florebam, celebrisq; apud uniuerſum terrarum orbem eram: ſed iam tũ tempus, tum ratio ex parte dolori remedia attulerunt, ita ut callum iam calamitatibus meis obduxerim. Tu te quoque philoſophiæ potiſsimum ſtudiis, atque rationibus conſolare Italia. tibi conſta. forti animo eſto. nam ſui cuique mores fingunt fortunam. atque ita demum mihi omnia, quæ ex te ſcire cupio, uoce, ſenſu, atque ore proprio (ſi fieri poteſt) ipſius philoſophiæ reſponde.

ITAL. Id à me, quod hortaris, omnino fieri uellem: ſed hoc mihi non ita facile uidetur: ſubtilius nanque iſta uerbis, quàm factis, diſputantur. ſed illorũ exemplo, qui per alta maris nauigant, remis, ac uelis (ut ita dicam) conabor ad portum ſummæ philoſophiæ nauiculam ſermonis, atque ſententiarum mearum dirigere. Hac igitur potiſsimum de

caussa humanarum rerum conditio mihi non stabilis, & ærumnis, atque confusione denique plena uidetur, quia eorũ, quæ sunt, partim æterna, partim perpetua, partim temporaria, atque caduca cæli, terræq; auctor uoluit esse. solus igitur Deus, diuinæq; personæ æternæ, Angeli, hominumq; animi perpetui. Mundus uero ex iis esse uidetur, quæ principium atque finem habent. omnis enim creatura ingemiscit & parturit usque adhuc, (ut magnus ille gentium doctor testatur) redemptionem filiorum Dei expectans: transitq; habitus huius mundi de generatione ad corruptionem, quousque, igne prius consumptis omnibus, quæ uidentur, cælum nouum, & terra noua in nouissimis tẽporibus fient. Homo igitur, qui est nobilissima huius mundi pars, immo, ut aliqui uolunt, alter ille ipse mundus, & quæcunq; hominis sunt, siue diuitiæ, siue honores, siue regna, siue imperia, siue gloria, ad corruptionem, &

interi-

interitum omnia denique tendunt, nihilq; perpetuum, ac propriū in hac uita. GRAEC. Certe mecum iocabaris, Italia, cum te dolore, atque tristitia ita affectam esse dicebas, quòd minime ualeres tam magnæ, atque profundæ quæstionis pelagus traiicere. sed quid est, quod ex te audio? In cælum usque ascendisti, ibiq; philosophiæ, atque diuinæ rationis oculis caussam malorum nostrorum tandem inuenisti; & digito (ut aiunt) uulnera nostra presisti. sed hoc quoq; ex te scire cupio: mutentur ne ita quæ in cælis, & super cælos sunt, ut ea, quæ sub illis esse uidentur. ITAL. Tu mihi tantum tribuis, Græcia, quantum ego nec agnosco, nec postulo: sed facis amice; de iis uero, quæ modo percontabaris, in medium equidem afferam, quæ uera esse iudico. Septem igitur cælos esse dicunt, & hos quidem singulos planetas habere; qui cum uariæ proprietatis, atque naturæ sint, uarios utique influxus in mortales

les transfundere, atque hinc esse diuersa illorum studia affirmant, ut ciuilis uita, quæ diuersis adiumentis, atque artibus indiget, tueri semper, atque conseruare illa posit. Super septem uero aliud ponunt, quod cælum stellatum, siue firmamentum uocant, in quo zodiacum fixasq; omnes stellas collocant. istis postea nonum adiungitur cælũ, nona sphera, siue primum mobile appellatum: ex quo tanquam ex anima alios motum accipere uolunt. Atq; hinc esse temporis mensuras, & spatia, uariasq; planetarũ coniunctiones, atque cælorum motus dicũt: ex quibus pestilentiæ, fames, annorum uicissitudines, atque fertilitates, tempestates, bellorum incendia, principũ dissensiones, regnorum mutationes, & omnium denique generationes atque corruptiones prouenire asseuerant. Prima nanque illa caussa cælis motum, atque uirtutem, proprietatemq; illis congruentem (ut isti uolunt) præbet: secundæ

uero

uero caussæ uitam similiter, motum, alterationem, corruptionem, atque uirtutem rebus inferioribus subministrant. nihilq; penitus in terris accidit, nihil mouetur, quod non ex Dei prouidentia, simulq; ex cæli dispositione proficiscatur. GRAEC. Sed de his satis: optime nanque ac breuiter (ut fieri conuenit) unde, uel qualis sit cælorũ motus, atque dispositio, explicatum est. Sed hic obiter scire uellem, unde Epicurum existimas accepisse argumentum, quo affirmaret in rebus inferioribus non esse Dei prouidentiam. ITAL. Vir ille parum certe, immo nulla in re cognouit mysteria ueritatis, neque à liminaribus quidem ipsis sapientiæ Dei sacellum intuitus est. Quapropter cum uideret bona malis, mala bonis plerunque accidere, omniaq; humana simul misceri, atque confusa esse, ita certe credidit, ita persuasum habuit, atque ita docuit, in rebus humanis nullam esse Dei prouidentiam. sed omnium im-

peritissi-

peritisſimus nullam quoque aliã uitam, quàm præſentem, eſſe dicebat; utpote qui animorum immortalitatem, tanquã poetarum fabulas haberet: & hac quidem de cauſſa ſummum bonum in uoluptate ille ipſe ponebat, cum ignoraret, quæ eſſet uera uoluptas, illaq́; hic, & ubique ſimul cum ueris bonis optimos tantum, ac præſtantiſsimos uiros potiri. Verũ hæc hactenus. Reliquum eſt, ut de ſtatu decimi cæli dicamus, quod Empyrium dicitur, eo quòd inſtar ignis undique totum lucidum, totum ſplendidum tum ex ſui natura, tum ex præſentia ſummi Imperatoris noſtri Dei eſſe dicunt; In quo ſedes beatorum ſunt: qui tanquam ſtellæ in firmamento feliciſsimi huius cæli lucent. Nam ſuprema illa poteſtas, cum ſit ipſa lux gloriæ, ſimulq́; ineffabilis bonitatis, atque pulchritudinis fons nunquam deficiens, cum omnibus, qui illam uere colunt, atq; adorãt, ex ſua potiſsimum felicitate, atque bea-

titudine

titudine communicat: neque aliquid eſt, quod uirtutis eius, qui omnia mouet, nō ſit particeps, plus tamen, & minus, pro-ut illi placuit, qui omnia in pondere, numero & menſura fecit. illic igitur nihil uarium, nihil caducum, ſed omnia perpetua, omnia ſempiterna eſſe dicuntur: quemadmodum eſt ille, qui beat feliciſſimos illos ſpiritus, qui ſunt tanquam reges, ac principes diuini ſplēdoris, atque gloriæ, & tanquam una ciuitas deorum: cui imperat, & quam regit ille, qui eſt principium, atque finis omnium rerum, quiq;, eſſe, uiuere, ſentire, moueri, atque uti ratione, quibuslibet præſtat: qui in mortem tradit, & denuo ad uitam reuocat, deducit ad inferos, & reducit, ut ſacra uatum oracula teſtantur. Huius igitur imperii ſceptra immortalia, atque huius poteſtas æterna. omnia enim, quæcunque uoluit, fecit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyſsis.

GRAEC. Si Dei ſolius imperium eſt im

mortale, atque æternum, conſequitur omnia alia imperia cum tempore incipere, atque cum illo finiri. ITAL. Ita certe apparet. Non modo enim imperia, & regna, ſed uita quoque ipſa, atque omnia ſimul humana cum tempore facta; ſuum denique fatalem ſortiuntur finem. GRAEC. Me quidem hic latet Italia cũ mortales ſimus, cur tã anxio, ſummoq; cum ſtudio diuitias, opes, clientelas, honores, & ſuper omnia regna, atque imperia huius uitæ quæramus: diu enim hiſce rebus frui non poſſumus. ITAL. Nobiliſsimũ utique animal, & ſuper omnia præſtans, eſt homo; diuinarumq; omnium rerũ ſemina in animo ſuo gerit: quo fit, ut cum ſeſe ad imperium, non ad ſeruitutem, eſſe natum ſentiat, illud ambiat, hãc totis uiribus fugiat, omnibusq; præeſſe contendat: corde, atque ore illud Cæſaris ſæpiſsime in ſeipſo reuoluens: Si uiolandum eſt ius, imperii cauſa uiolandum eſt. Superiora uero illa quoque

bona

bona quærit, cum manifeſte appareat, multa ſecum commoda illa ipſa deferre: ſed fieri poteſt, ut aliquis pro ſumma animi uirtute omnia iſta contemnat, nihilq; bonum, præterquam honeſtum, ducat; & tamen nihilominus imperium, atque gloriam uel quærere, uel oblatam amplecti non uereatur: ultima nanque omnium eſt gloriæ, atque imperii ueſtis, qua denique ſapiens, qui humana omnia deſpexerit, exuitur: ita dura eſt domina, atque imperioſa illa cupiditas, quæ eſt imperii, atque dominationis.

GRAEC. Si homo (ut ſuperius dicebas) ad hoc eſt factus, ut imperet, non ut ſeruiat, cui ille imperabit, ſi nullus homo ſeruire debet? ITAL. Nimium certe argutaris ò Græcia: paribus nanque cōditionibus naſcuntur mortales, ſed non paribus illi ipſi uiuunt: ideo ſapientes ſtultis, generoſi imbecillioribus, boni denique malis ita dominari debent, ut animalibus, atque omnibus, quæ ſunt mi-

noris dignitatis, atque uirtutis illi ipsi dominatur. GRAEC. Sed quid, cum pulcherrimus iste ordo naturæ confunditur? improbi nanque (ut uidere licet) plerunque imperant: boni uero seruire, illisq; obtemperare coguntur. ITAL. Hinc proculdubio est ciuitatum, & rerumpublicarum, regnorumq;, & imperii denique quantumuis magni, atque fortissimi ruina, atque amissio. nam potentia sine sapientia, quid aliud esse uidetur, quàm torrens inundans, uel gladius (ut aiunt) in manibus furiosi? dum enim sapiens regnat, uiget morum disciplina, uiget militia, uiget ius, præclarissimaq; litterarum studia summopere florent, omniaq; in officio suo semper manent, ita ut uere beata regna, beata imperia possint dici, quæ talem moderatorem, talem principem sortitæ fuerint. At è contrario, dum regnat stultus, ingens ruina in populis, in ciuitatibus, & nunquã finis miseria-

rum esse uidetur. Studia nanque & curiæ pariter, atque personæ principum sunt tanquam gymnasia publicæ disciplinæ. Dum Roma Augustum, Traianũ, Adrianum, & Pios habuit, adeo bello, paceq; floruit, ut beatissima ab omnibus haberetur: quandiu uero Caligula, Nero, Galienus, & Commodus imperii sceptra tenuerunt, dici certe non posset, quàm misera, quamq; calamitosa esset. proscriptiones undique, cædes, rapinæ, exilia, mortes, incendia, imperii euersiones, atque diuisiones, captiuitates. GRAEC. Si tantam hominum sapientissimi gloriam ciuitatibus importãt, cur ciues, cur populi tales semper non eligunt, & uocant, uel nolentes etiam non impellunt ad præturas, ad consulatum, atque ad ipsius imperii administrationem? ITAL. Vt uideo, parum certe, Græcia, improborum calliditas, atque impudentia tibi cognita uidetur esse. nam isti quamuis non mereantur hono-

res,

res, ſemper tamen illos ſummo cum ſtudio, ac diligentia quærunt. Quod ſi hoc non ſufficere uiderint, illos emunt, illos denique ſibi dari, quo quomodo dentur, uolunt: boni uero contra, cum ſeſe ex merito præſtantiſſimæ uirtutis dignos honoribus intelligant, non quærunt quod iure naturæ, pariterq; diuinarum, atque humanarum legum decretis ſibi dari omnino conuenit: cum incongruum eſſe uideatur, ut medici, qui male ſe habent, ad ſeſe uocent curandos, & magiſtri pariter diſcipulos quærant, ut ex ſeſe rerum doctrinam illi ipſi accipiant. Satis quidem eſt, ſi uocati annuant.

GRAEC. Si uerum nos credimus, quod ſapiens ille dixit; magiſtratum ſcilicet oſtendere uirum, miror equidem, cur ſordidi, atque hominum ſtultiſſimi non magis illi ipſi etiam oblatos recuſent honores. Cum hoc utique ſcire poſſint, quòd ſunt tanquam in ſpecula poſiti, ubi eorum ſtultitia, atque improbitas ma-

manifeste ab omnibus uideri potest. non qui habet, sed qui meretur honores, laudabilis est. Magis nos quidem uirtus, quàm summa dignitatis conditio, quàm etiam imperii ipsius sceptra honestat, atque commendat. ITALIA. Si homines ita boni, ita magnifici esse studerent, ut apparere uolunt, felix utique hominum genus, beata mortalium species: mundus iste uere mundus, uere ornatus, non immundus, neque confusus esse uideretur. nam Socrates hanc uiam ad gloriam proximam, & quasi compendiariam dicebat esse, si quis id ageret, ut qualis haberi uellet, talis esset. sed fluctuant illi ipsi inter simulationem uirtutis, atque amorem utilium assidua iactatione. nomen tantum uirtutis usurpant, sed quid ipsa ualeat ignorant. dum enim malis fortuna fauet, undique splendent, atque omnibus imponere student. sed si quid acciderit, quod disturbet, ac detegat eorum improbitatem, ad illud

ſtatim Euripidis recurrunt: ſine me uocari peſſimum, ut diues uocer: an diues, an bonus nemo, omnes quærimus: ubique tanti quiſque, quantum habuit, fuit. bene moritur, quiſquis moritur, dum lucrum facit. ſed quid plura? cum omnibus pateat, hinc non modo ciuitatum, ſed denique totius orbis exitium, atque confuſionem prouenire: quando aliquis inter homines id agere conatur, quod ſui muneris, atque officii natura noluit eſſe. GRAEC. Præclare loqueris Italia. natura enim, rerum omnium mater, unicuique, quod ſibi placuit, ſuumq; eſſe debuerat, contulit: optimeq; in magna huius mundi republica res ſeſe haberent, ſi unuſquiſque in ſuo officio maneret. naſcuntur poetæ, fiunt oratores: ſed ſcribimus indocti, doctiq; poemata paſſim. in cunctis nanque ſinguli eruditi penitus uideri uolumus: cum neque illud, quod potiſſimum profitemur, bene ſciamus. quod præuidens diuinus ille Plato

noſter

noster in optima sua republica uoluit, ut qui miles esset, nullo pacto implicaret se in officio senatoris, neque senator in officio militis: hoc utique persuasum habens, à singulis singula recte confici posse, plura uero minime. quod si quis plura aggressus fuerit, in singulis ita ea deficere dicebat, ut in nullo euaderet egregius. ITAL. Sed quid dicemus: cum minimæ quæque artes sine magistro non discantur, paucíq; admodum inueniantur, qui bene se ipsos uincere, atque regere sciant: tamen omnes pene alios bene regere, præturam, consulatum, dictaturam, ceterasq; dignitates tam anxie quærendo, profiteamur. cum nihil difficilius sit, quàm bene imperare: quod Dioclitianum imperatorem, deposito imperii sceptro, dixisse ferunt. sed cæca omnino, atque impudens est ambitio. Plato nanque totos ex massa aurea constare dicit, quos Deus fecit, ut ciuitatibus, regnis,

atque imperiis præessent: talesq; nimirum uere admodum populorum pastores, & nationum reges, ut Homerus Agamemnonem uocabat, esse uidentur: nullaq; magis alia re ceteris præstare student, quàm sapientia, bonitate, humanitate, atque uirtute. pascuntq; illi ipsi populos tanquam optimi pastores, ac curant tanquam humanissimi patres, priuatam semper publicæ utilitati, atque saluti postponentes. malos præterea puniunt, bonos denique amplissimis dignitatibus, atque muneribus honestant. sed rara auis principum integritas; ita ut boni in uno annulo possent describi; sicut quendam scurram magis quidem uere, quàm iocose dixisse ferunt. GRAEC. Quid prohibet ne boni sint? ITAL. Hoc quidem sæpissime inter sapientes disputatum fuit, cur principes, Dei iudicia gerentes in terris, nulla habita ratione officii, atque dignitatis sibi ipsis concessæ, ut diuinarum,

rum, humanarumq; legum anima, simulq; Dei iustitiæ ministri sint, mali plerunque esse uideantur: hocq; potissimum, tum ex mala illorum natura, tum ex ignorantia rerum agendarum, tum ex pessimis consultoribus, qui etiam bonum, atque optimum imperatorem quotidie uendunt, tum ex nimia auctoritate, atque licentia euenire dicunt. GRAEC. Quanam ratione, qui iusti, qui clementissimi, ac sapientissimi fuerunt, ut Caroli, ut Pii, ut Augusti, existimas illos bene imperium administrasse? ITAL. Deorum in primis cultu, atque timore, generosa præterea, atque aurea natura, magnifica educatione, philosophia duce, optimisq; insuper sibi ipsis adiunctis consiliariis, hoc illos fecisse existimo. GRAEC. Diuinum igitur munus, magis quàm humanum, Deoq; proximum, immo proprium hoc utique esse uidetur. ITAL. Quid ni? cum experientia, rerum magistra, ita esse ma-

nifeste doceat. hac enim de caussa senatus Romanus olim iam optimos imperatores, cum ultimo illi ipsi concessissent fato, inter deos connumerabat. quidquid enim siue fortuna, (ut dicitur) siue suprema illa potestas alicui datum uelit, talium ore pronuntiat; nihilq; difficilius, quàm in tanta rerum licentia se ipsum uincere, aliosq; præclare, ac sapienter regere. GRAEC. Cum tam difficile uideatur bonos bene imperare, quid mirum, si mali iis contraria agant, cum semper aures ueritati clausas, patulasq; adulationi, atque assentationi teneant, nullosq; alios magis sibi adhibeant consultores, quàm proprias, simulq; nefarias cupiditates? ITAL. Sed heu heu me miseram; quia talis principum meorum improbitas mihi gloriam, mihi imperium, mihi denique libertatem omnem penitus eripuit. nullum enim malum in ciuitatibus, aut in regnis, quod non ex dominorum peruersitate;

atque stultitia profectum plane constet.
GRAEC. Quid iterum ploras Italia? quid tristitiæ, atque mæroris affectu conficeris? putabam equidem philosophiam pulcherrimis suis sensibus, atque diuinis rationibus ex oculis tibi iam lacrymas detersisse, animumq; in uirtutis adamante obfirmasse, pariterq; tristitiæ nebulas à tua mente consolationis Zephyro penitus dispulisse. sed modo etiam te lacrymis plenam, nimioq; dolore affectam uideo. quid sacræ philosophiæ studia? quid ratio? quid fides? quid diuinarum scripturarum oracula tibi profuerunt? nondum rebus in arduis æquam mentem seruare, nec secus in bonis ab insolenti temperaturam lætitia didicisti. nam cum omnium sapientissimus dicat; præbe occasionem sapienti, & sapientior erit; quid extimescis? quid dubitas? forti animo esto. uirtus nanque circa difficilia uersatur, & magnanimos semper labor nutrit.

ITAL.

ITAL. O quàm facile eſt philoſophari uerbis, aliosq; pulcherrima, atque accurata oratione conſolari: ſed non ita affectus, ut lingua, regitur. quapropter hic mihi ingenue reſponde, ò Græcia: ſi tibi daretur facultas eligendi quidquid placeret, ſtatum ne tibi miſerrimum, an uero florentiſſimum deligeres? GRAEC. Quis ita ſtultus, ut ſe eſſe miſerum malit, quàm felicem? prudens homo difficultates, ſi forte inciderint, feret, ſed non quæret. ITAL. Sapienter loqueris, Græcia: cum tu ſcilicet, tum alii omnes aduerſis rebus triſtentur, proſperis uero è contrario gaudeant. GRAEC. Sed hoc opus, hic labor, ut intelligant homines, quid reuera ſit bonum, atque malum: cum ſæpiſſime umbram pro ueritate accipiant, bonumq; malum dicant, & malum bonum; quod magnus ille ſummi Dei interpres eis ipſis obiecit dicens: filii hominum, uſque quo graui corde? ut quid diligitis uani-

tatem,

tatem, & quæritis mendacium? hoc idem gentilis quoque ille poeta ait: O curuæ in terras animæ, & cœlestium inanes. ITAL. Bonum ne impietatem, cædes, rapinas, populorum deprædationes, expilationes, factiones, iustorum exilia, bonorum oppressiones, atque mortem arbitraris? GRAEC. Id omne ita malum esse arbitror, ut pene summum dicam. ITAL. Cum undique igitur tot fœdissimis cladibus me omnino exulceratam uideam, & iam in turpissima seruitute constitutam, possum ne non summopere tristari, atque dolere? nam cum omnis seruitutis species sit misera, tum illa intolerabilis, seruire timidis sine ulla spe futuræ aliquando libertatis. GRAEC. Pulcherrima utique res est libertas, adeo ut non bene cum toto commutetur auro. ITAL. Id nemo melius intelligere potest, quàm qui utrunque, libertatem scilicet, atque seruitutem, expertus fuerit. iam olim equi-

dem domina rerum, imperatrixq; totius mundi cum fuerim, & talis, ut de me uere illud posset dici : Imperium oceano , famam quæ terminet astris, nunc undique diuisa, nunc dilaniata, nunc denique præda hostium meorum facta esse uideor. GRAEC. Sine me meam deplorare sortem: quæ cum mater liberalium disciplinarum, & alumna uirtutis, domiciliumq; libertatis, atque emula Romani imperii existerem , iam omni ex parte antiquum honorem, libertatem, atque gloriam nunc penitus amiserim. in hoc quidem te certe consolari potes, quòd non omnino tuam ipsius dignitatem, atque maiestatem perdideris. licet enim sceptra Romani imperii in alia loca translata fuerint, adhuc tamen uiuit in aliqua tui parte antiqua illa libertas, atque gloria, nomen adhuc remanet imperii. nam cum ex tuis non sint, qui imperent, se tamen reges, atque imperatores Romanorum uocari

uolunt.

uolunt. Petri ſedem, atque claues habes. præterea ubique ferax, atque fœcunda eſt terra tua, omnia illa utique præſtans, quæ hominibus grata, iucunda, atque utilia eſſe uidentur: adeo ut uere terra repromiſſionis, atque paradiſus deliciarum poſſit appellari. quid igitur libertatis, quid honoris, quid maieſtatis non habes? populi tui pulcherrimi: ciuitates tuæ præſtantiſſimæ: principes inclyti. iam omnium rerum artes, iam præclariſſima litterarum ſtudia, iam diſciplinæ militaris præſtantia munera tua propria eſſe uidentur. quid amplius cœli, terræq; Deus? quid natura ipſa tibi potuit facere, quod non fecerit?
ITAL. Hæc omnia quid proſunt ſine libertate? Gigas undique, catenis conſtrictus, quid faciet? reor equidem, ut non mihi, quod pulcherrimæ mulieri, eueniat: plures illa amatores habet, ſed nemo eſt, qui eius libertatem, qui honeſtatem, qui gloriam conſeruet. ex illa

omnes, quod proprie libidinis, atque nefariæ cupiditatis eſt, quærunt. ita enim Hunni, atque Gotthi immaniſſimi illi populi fecerunt: qui me armis ſubiugatam, totam omnino fœdiſſimis cladibus affecerunt, & denique Romam ipſam, iam totius mundi caput, ſolo æquarunt. ſed ò fata, ò peſſima hominum ſtudia. nemo aliis, ſed modo ſibi unuſquiſque duntaxat uiuit: dumq; quod ſuum eſſe dicunt, tueri uolunt ſinguli, en quò diſcordia ciues perduxit miſeros. iam quæ erant ancillæ, quæ ſeruæ, modo quidquid libet, quidquid uidetur imperant; ſeruitq; regina mundi, & domina prouinciarum, undique captiua tenetur. GRAEC. Nimia ſemper felicitas robur animi, atque uires frangit omnino, uel imminuit, delicatũq;, ac mollẽ etiam in minimis quibuſcunque rebus patientem reddit: ſummumq; genus infelicitatis miſero eſt, fuiſſe aliquando felicem. quocirca olim iam nimium tu

felix Italia, atque beata, nunc misera, nunc ærumnosa omnino tibi uideris. sed quid ego? quid nobilissimæ aliæ mundi prouinciæ? quid amplissima regna; quæ modo iugum turpissimæ seruitutis ducũt? quid Numantia? quid Carthago illa? quid Hierosolyma? quid Athenæ? aliæq; celeberrimæ ciuitates? quarum pene nullum modo residet uestigium: immo aratur, ingensq; solitudo terrarum esse uidetur, ubi aliquæ ipsarum tam magnifice sitæ erant. ITAL. Quid mihi prodest aliorum miseria? Inuidi profecto est uelle socios habere pœnarum. GRAEC. Si hoc nihil, uel parum tibi prodest, iuuet saltem, quod ex tua miseria alii felices, ex tua seruitute alii domini euaserunt. cui enim non ex alieno damno lucrum? nam ita res humanæ sese habent, ut corruptio unius sit generatio alterius: qui callidior est, & cui magis arriserit fortuna, ille potentior. quid reges amplius, quàm quisque pri-

uatus intulerunt illi ipsi in hunc mundum? scis ne, quid potissimum homines faciat principes? ITAL. Id equidem scio, omnem potestatem à domino Deo esse, ut magnus ille doctor gentium dixit. GRAEC. Si bona fuerit potestas, proculdubio ex domino Deo est: tuncq; bona esse uidebitur, quando tota ex massa illa aurea, de qua superius diximus, constabit; utpote benefica, liberalis, magnificentissima, & omnibus denique uirtute, humanitate, atque sapientia præstans. ITAL. Quid, si mala? GRAEC. A Deo, sed non ex Deo, rerum sacrarum periti illam esse dicunt: quoniam, quæ bona, ex Deo, idest Dei opera, atque uoluntate fiunt: quæ uero mala, à Deo, idest Dei permissione, pro arbitrio liberæ hominum uoluntatis accidunt; unde illud ex diuinis oraculis de Saule pessimo rege scite dictum: Elegerunt sibi regem, & non ex me. bona enim omnia ex diuino illo totius pulchri-
tudinis

tudinis, atque bonitatis fonte emanant: soli igitur optimi, ac præclarissimi principes ex Deo esse uidentur; quoniam, quæ Dei sunt, agunt: peccati uero causa permittit Deus, etiam regnare impios, atque facinorosos homines: qui uentri, qui libidini, qui nefariis cupiditatibus sese penitus addixerunt, & à Christi pietate, atque clementia sese omnino abdicarunt. ITAL. Nihil ne aliud malos regnare facit, nisi, quòd ita Deus propter hominum scelera, atque peccata permittere uidetur? GRAEC. Hoc utique est, quod ex te superius equidem scire uolebam: sed libere dicam, ego, quod sane de hac re sentio. Cum homines duobus constent, animo scilicet, & corpore, pluribus utique morbis, atque ægritudinibus in utroque sæpissime illi ipsi laborant. qui uero ambitione, atque philautia affecti fuerint; si potentia, si ingenium accesserit, si fortuna denique annuerit, rapinis, cædibus, atque

 uio-


uiolentia fiunt principes, atque aliorum domini: & quod ita res sese habeat, Cæsar ille tuus quanam uia Imperator est factus? cesserat ne illi pater iure hæreditario imperium populi Romani? tu quoque Italia, quod ius super Asiam, & Africam, ceterasq; mundi prouincias tibi datum fuerat? Non ne ui, & armis ita magnum, atque gloriosissimum Imperium occupaueras? unde Vates ille tuus argumentum acceperat, ut tibi mire assentaretur, dicens Romanos rerum dominos: hoc illis utique proprium: parcere subiectis, & debellare superbos, nisi ex rapinis, & cædibus tuis, quæ omnia milites Romani (mutando nomina rebus) trophea uocabant, triumphos maximos ex ita partis rebus ducere non erubescentes. sed ò tempora: ò mores: minuta sacrilegia puniuntur, & magna in triumphis ducuntur. ITAL. Quid tu Græcia? Alexander ille Magnus quanam ratione, quo iure tam amplum sibi pa-

rauerat imperium? Athenienſes præterea, atque Lacedæmonii, unde pulcherrimum, atque fortiſſimum ſibi principatum acquiſierant? GRAEC. Vi, & armis ipſi quoque omnes quidquid habebant, occupauerant. ITAL. Si ita eſſe crederemus, nemo utique principum legitimus eſſet dominus rerum ſuarum, omnesq; tyranni, ſimulq; uiolentiæ miniſtri uiderentur: ſed nimis profectò abſurdum ita perſuaſum habere: cum plurima pars illorum, uel ex iure hæreditario, uel ex optimatum electione reges, ac ſummi principes fiant. GRAEC. Iure quidem naturæ nemo aliorum dominus, niſi qui melior, qui aliis ſapientior eſſe uidetur: iure uero gentium hic Rex, ille Imperator dicitur, & eſt. ſed ſi altius hæc repetere, mundiq; ſtatum, atque ætates conſiderare placeret, perſpectum utique haberemus, non qui melior, ſed qui uerſutior, ac callidior, & cui magis arriſerit fortuna,

na plerunque regnasse. ITAL. Quoquo modo regnare contingat, hoc utique summum bonum putant esse homines. GRAEC. Igitur summum malum est seruitus. ITAL. Ita profecto. GRAEC. Quam seruitutem intelligis? nam ab eruditis uiris dictum est, nisi sapientem liberum esse neminem. hic uero laudari imperatorem, aut etiam appellari, aut hoc nomine dignum putari uolunt, si primum refrænet libidines, spernat uoluptates, iracundiam teneat, coerceat auaritiã, ceterasq; animi labes repellat. tumq; dignũ putant, ut incipiat aliis imperare, cum ipse improbissimis dominis dedecori, ac turpitudini parere desierit: dum quidem his obediet, non modo imperatorem, sed ne liberum quidem habendum omnino uolunt. ITAL. Admirabilia sunt ista, contraq; opinionem omnium, in gymnasiis, & in otio à stoicis disputata, sed non probata. hacq; de causa ab ipsis etiã παράδοξα appellantur.

appellantur.

appellantur. ſed cum duplex ſeruitutis ſpecies eſſe uideatur, neutra omnino mihi probatur. GRAEC. Scis ne duplicem quoque eſſe libertatem, ciuilem ſcilicet, & moralem? ITALIA. Quidni? GRAEC. Quam ergo ex his magis tibi eligeres? ITAL. Vtranque: cum male una ſine altera, quod uult, efficere poſſit. nam quid egregium ſapiens ſiue in republica, ſiue in toto terrarum orbe, ſine libertate agere poteſt? multa uero è contrario mala, qui ſtultus eſt dominus, uel rex, ſine ſapientia faciet. cum poteſtas ſine illa, (ut iam dictum eſt) ſit tanquam gladius in manibus furioſi. hocq; Neronis crudelitas, rabiesq; Caligulæ clariſſime demonſtrant; quorum alter populo Romano unam tantum ceruicem deſiderabat, ut uno enſis ictu ſimul omnes interficere poſſet.



GRAEC. Bene utique loqueris, ac ſentis Italia; ſed quid, cum meus ille Socrates, qui Apollinis oraculo ſapientiſ-

ſimus eſt iudicatus, dicat, quòd poten-tia, quòd diuitiæ improbitatis magis, quàm bonitatis ſunt miniſtræ. nemo aliorum dominus, nemo rex uult eſſe, ut curet quæ dei, quæ populi ſunt; ſed ut gaudeat, ut deliciis affluat, ſatisq́; propriis cupiditatibus faciat. ſed quomodo, aut cui tandem hic libero imperabit, qui non poteſt cupiditatibus ſuis imperare? utram ergo tibi libertatem eliges, ciuilem ne, an moralem? cum non facile una ſimul cum altera ſtare poſſit. ITAL. Difficile id quidem: ſed fieri etiam poteſt, ut una alteram ſubſequatur, utq́; in eadem re ſimul bonitas, atque potentia commorentur. multi quidem boni principes, atque optimi imperatores fuerunt, ut Conſtantinus, qui primus pietate ornauit imperium, aliiq́; plures. GRAEC. Potens eſt Deus, etiam de lapidibus ipſis præclariſſimam hominum ſtirpem ſuſcitare, filiosq́; eos ipſos fideliſſimi Habraæ facere. hocq́;

ideo per certo habeo, quos elegerit ipſe in reges, ac principes, ita eos tutari, ut non modo boni, ſed optimi quoque eſſe uideantur: ſed ueritas mentiri non poteſt, quæ dicit, quod difficile eſt diuitem intrare in regnum cælorum: neque enim, unquam expletur, nec ſatiatur cupiditatis ſitis: neque ea ſolum modo, quæ habent diuites, libidine augendi cruciantur, ſed etiam amittendi metu. Sed mihi tandem explica, quid ueram libertatem eſſe affirmes.

GRAEC. Poteſtatem uiuendi, ut uelis. ITAL. Viuit ne ut uult, qui hoſtibus, qui tyrannis, qui nequiſſimis dominis ſeruire cogitur? GRAEC. Non, ut arbitror. ITAL. Quis igitur uiuit, ut uult, niſi qui ſui ipſius dominus eſt, & qui recta ſequitur, qui gaudet officio, qui legibus quidem non propter metum paret, ſed eas ſequitur, atque colit, quia id ſalutare maxime eſſe iudicat, qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat deni-

que, nisi libenter, ac libere: cuius omnia consilia, resq; omnes, quas gerit, ab ipso proficiscuntur. eodemq; referuntur: nec est ulla res, quæ plus apud eum polleat, quàm ipsius uoluntas, atque iudicium. GRAEC. Hoc quidem soli sapienti contingit, ut nihil faciat inuitus, nihil dolens, nihil coactus.

ITAL. Quanam ratione id agere poterit, sine sua ipsius libertate, atque sub potestate tyranni constitutus?

GRAEC. Difficile id quidem: sed tamen aget: cum tantæ grauitatis, constantiæ, atque magnitudinis animi sit, ut in ipsa quoque dominetur astra. cui quidem etiam, quæ uim habere maximam dicitur, fortuna ipsa cedit; ut sapiens ille poeta dixit: suis ea cuique fingitur moribus. ITAL. Si ita facile, Græcia, philosophari factis, ut uerbis, concederetur, bene, ac præclare res nostræ sese haberent. sed, quid tandem? nonne qui aliquò tendit, securiorem semper sibi

eligit uiam? nos uero, quorsum difficultates quærimus, uel etiam oblatas amplexamur in re tam magna, atque periculosa; ut est, amissa libertate ciuili, uelle animorum libertate uti? nihil difficilius, quàm bene uiuere cum tyranno, atque cum perditissimis dominis; quippe qui nihil magis, quàm bonorum uirtutem, atque constantiam, timeant, perspectum habentes, fortissimum omnium contra se ipsos propugnaculum esse bonorum consensionem. atque hinc semper occasionem illi ipsi quærunt, ut eos uel exilio in remotiora loca relegent, uel morte denique de medio tollant. heu igitur quid faciam misera, pulcherrimo utique libertatis munere, simulq; imperiali, atque regali maiestate priuata, & undique serua, atque captiua, pariterq; omnibus dominari cupientibus, tanquam mulier sine proprio uiro, exposita? quid, inquam, faciam? cum filii quoque ipsi, quos in deliciis enutriui, &

ad

ad ſupremos dignitatum gradus tandem euexi, ſpreuerint me, nullaq; amplius ſit eis cura de honore, de libertate, & de maieſtate tam optimæ, atque præſtantiſſimæ matris. quid optimates? quid principes in utrunque oculum obdormiſcitis? tuemi mi uiduam, defendite matrem, undique tot malis, atque miſeriis circunſeptam. dicite (quæſo) quid hic faciunt peregrini enſes? quid armatæ hoſtium copiæ? quid (oro) tanta ſibi uult mortalium ſtrages, atque undique rerum omnium interitus? ubique luctus, ubique clamor, & plurima mortis imago. in tam magna diſſidiorum tempeſtate uidetis ne intus periculum, intus deniquelatere diſcrimen communis libertatis, atque ſalutis? ſic ſurdi eſtis, ut & cæci ſitis? quid natura ipſa, nonne ex altiſſimis montibus, atque ex profundo mare mihi contra exteras nationes munitiſſima propugnacula fecit? Verum quid hæc ualent, niſi adſit uirtus,

tus, nisi adsit concordia uestra, inexpugnabile utique ciuitatum, atque regnorum munimentum? Roma olim iam totius orbis terrarum triumphatrix, belli ciuilis gladio uulnerata, tota excidit: unde poeta ille:

Altera iam teritur bellis ciuilibus ætas,
Suis & ipsa Roma uirib us ruit. sola igitur uirtus, atque omnium uestrum concordia potens est mihi reddere libertatem, maiestatem, atque gloriam, discordia, atque bellis ciuilibus mihi iam ereptam. GRAEC. Quid si non audiant, opemq; non ferant? ITAL. Actum erit omnino de communi omnium libertate, atque salute. GRAEC. Hoc iam pridem tibi utique obtigisset, si aliger ille Leo consilio, armis, auctoritate, atque sententia tibi non affuisset. quoties ille terra, mariq; opem tulit? quoties auxilia promptissime subministrauit, ut te de hostium seruitute, atque de captiuitate, & excidio eriperet, quod undique tibi

imminere uidebatur? ITAL. Si hic non adesset, de mea proculdubio libertate, atque salute desperarem omnino: sed quid solus in tanta rerum perturbatione, atque studiorum diuersitate?
GRAEC. Bello, paceq; ita solus ualet, ut eum summi terrarum principes timeant, nihilq; praeclarum se posse existiment sine eius ope, atque consilio.
ITAL. Vndique suapte natura, atque studio fortissimus, summusq; communis boni amator si exploratum haberet, nunc aliquid egregium se posse agere; cui dubium, quin modo etiam arma arriperet pro communi meae gentis seruanda libertate, antiquosq; iam meos mihi ille reddidisset honores? sed nusquã tuta fides: domestici inuident: exteri insidiantur, omnesq; illi imponere satagunt: sed ita prudentia, atque animi magnitudine ualet, ut praua omnium consilia inspiciat, pessimaq; inuidorum studia dissipet, simulq; nefarios prodi-
tionum

tionum conatus penitus frangat. GRAEC. Parum certe non fuit iam centum, & mille annos se potuisse tutari in tanta hominum, atque optimatum discordia, totq; circumuallatum malis, atque insidiis. sed (ut uideo) animal immortale, atque diuinum est. omnes quidem inuidere, atque insidiari, sed nemo ei nocere potest; pulcherrimamq; ideo, simulq; inexpugnabilem sedem diuina dedit prouidentia, quæ cælum pro tecto, mare pro muro, locaq; sacra pro propugnaculis habet: adeo, ut ita in terris, ut in cælo honorificentissimum sortitus sit ipse locum. quid plura? amplissimum, simulq; munitissimum ille tenet imperium: tamq; præclare fundatam habet suorum optimatum Remp. ut quicquid pulchri, quicquid honesti, quicquid boni iam in Romana, atque in cæteris rebuspublicis, à summis, atque præstantissimis uiris excogitatum fuerat, id omne in hanc unam simul mi-

grasse uideatur. hic fides, hic grauitas, hic constantia, hic Christi pietas, hic philanthropia, hic denique simul omnes uirtutes choreas, pulcherrimosq; triumphos ducunt: multi hic Catones, multi Reguli, multi Fabii. quid dicis Italia: non ne istis tua gloria, tua libertas, tuaq; maiestas? gens utique sancta, genus electū heroica hominum species: penitus ne misera, atque calamitosa modo, etiam tibi uideberis? ITAL. Cum undique mecum ipsa mei status conditionem diligentissime considero, ita certe felix hac in parte, ut misera in aliis, mihi utique esse uideor. GRAEC. Te quidem beatam, te florentem magis in hac parte, quàm miseram in quauis alia, esse dicerem: quid uero amplius tibi datum uelis? cum in humanis rebus nihil sit ab omni parte beatum. nam cum tibi olim iam tota uidebaris florere, magis tunc uere misera, quàm beata poteras dici. ITAL. Quid mihi ad culmen summæ

felicitatis deerat: cum imperio, cum libertate, cum præclarißimis litterarum ſtudiis, præſtantiſſimisq; morum inſtitutis, cum re militari, cum denique omnium artium excellentia, ſuper omnes mundi prouincias florerem?
GRAEC. Tibi tunc deerat uera ſummi Dei religio: qua nihil melius, nihil præſtantius, nihil diuinius in homine.
ITALIA. Id uerum certe Græcia. Romani nanque tunc Deum ipſum non cognoſcebant, neque in futuro mundi ſeruatore ſperabant: ſed temporum leges, atque impietatem etiam illi ipſi ſequebantur. GRAEC. Cum deſit pietas in homine, quid omnia alia ſimul bona, quid denique totius mundi imperium proſit? cum ipſe maxime à ceteris animantibus religione differat. qui te ergo iam beatam qui te florentem dicebant, ipſi te ſeducebant, parumq; illi ipſi ſummum hominis bonum ſeſe cognoſcere demonſtrabant.

ITALIA. Quid tu illud existimas?
GRAEC. Christi pietatem, atque religionem. alii quidem in uirtute illud ipsum ponebant, sed uirtutis culmen, atque perfectio, nihil aliud profecto est, quàm uera pietas, atque religio.
ITAL. Quid igitur causæ esse putas, cur, cum modo inter meos adsit pietas, atque religio, magis nunc misera esse uidear, quàm olim iam fuerim?
GRAEC. Dum summum bonum in libertate, in honoribus, in imperio, in populari gloria, in uoluptatibus quæres, nunquam tu certe illud ipsum inuenies. Non extra te, sed supra te, & in te esse uidetur, quod te denique beatam, te florentem omnino potest efficere: illudq; ipsum immortale, atque æternum est. cælum, terra, resq; humanæ omnes nunquam in eodem statu ea ipsa permanent; sed continua omnium rerum est uicissitudo, nihilq; proprium, ac perpetuum in huius mundi sæculis. uita ho-

hominum quid aliud, quàm bulla, atque uentus? sic enim omnium rerum properat finis, simulq; eorum satietas: quare aliunde omnino nos quærere oportet summum bonum nostrum. Peregrini, non ciues huius mundi sumus: aliò demigrandum, alibi patria, atque bonum nostrum omnino sunt quærenda. omnes enim morimur, & uelut aqua dilabimur: fatalisq; ideo iamiam dies instat: de morte, non de uita cogitandum. forti igitur animo esto Italia; dumq; libertate ciuili uti non potes, præstantissima utere animi, atque morum libertate: hocq; demum persuasum habe, quod si uera Christi pietas, atque Dei opt. max. religio in tuorum cordibus, atque moribus uigebit, longeq; absint schismata, hæreses, atque Epicureorum dogmata, dabit Deus his quoque finem, uenietq; iterum aurea illa ætas, beataq; denuo sæcula redibunt: teq; præterea, uti immortalem, summæ potestatis alumnam,

ad

ad Christi imperium possidendum, quod solum stabile, atque æternum est, ubi beata omnino existens, æuo sempiterno frui poterit, Deus opt. max. tandem aliquando gloriosissime triumphantem traducet.

FLAVII ALEXII VGONII

DE CHRISTI PACE, ATQVE CIVILI CONCORDIA, ad nobiles Brixianæ urbis ciues.

ROGATE, QVAE AD PACEM SVNT HIERVSALEM, ET ABVNDANTIA DILIGENTIBVS TE.

HIERVSALEM nanque illa urbs Palestinæ erat, figuramq; tenebat non modo cælestis illius Hierusalem, quæ uiuis ex lapidibus construitur, sed etiam cuiuscunque ciuitatis, in qua colitur Deus; ita ut, quæcunque de illa dicuntur, certa quadam ratione etiam de quacunque fideli ciuitate dici possint. sed hic utique cum uerba facere decreuerim de Christi pace, atque ciuili concordia, à uerbis sanctissimi Prophetæ incipere congruum fuit. sed uos in primis admonitos esse nolo, nobilissimi ciues, me denique neque lucrum, neque gloriam, neque ali-

quod humanum ad hoc impulisse, sed honestissima amicorum officia, & Christi amorem, atque dilectionem uestram fecisse, ut caussam istam tam sanctam, tam præclaram, & uobis tam necessariam, atque opportunam susceperim pertractandam. uir nanque fidelis ad fideles, nobilis (secundum carnem dico) ad nobiles, ciuis ad ciues scribit. quid igitur causæ fuit, ut uestra ista ciuitas tam nobilis, tam præclara tota pene redundet sanguine? ubique scateat inimicitiis, atque ciuilibus discordiis? plena sit odiis, atque dissidiis inimici hominis domestici eius? non hospes ab hospite tutus: fratrum quoque gratia rara est. per uiam ex improuiso occiduntur homines: in portis ciuitatis, in plateis, in propris laribus, & in ipsis cubilibus sauciantur miseri. ubique luctus, ubique clamor, & plurima mortis imago; & nusquam tuta fides. quæ iam tota omnino pacata, atque tranquilla uixerat, mo-

do uulnerata undique, atque dilaniata iacet: & tanquam noua Rachel plorat filios suos, & noluit consolationem accipere, quia non sunt. plures fere occiduntur, quàm nascuntur: plures exules, quàm incolæ, & habitatores. bona quotidie ad fiscum, cadauera ad sepulcrum, & animæ in infernum dilabuntur. sed filii hominum, usque quò graui corde? ut quid diligitis uanitatem, & quæritis mendacium? ciuitas ne ista appellari potest; cum in ea diuinæ, humanæq; leges nihil ualeant; cum iudicia iaceant, mosq; patrius penitus exciderit; an domicilium ferarum, & sedes prædonum, & conuentus fugitiuorum magis nominari debet? una enim ciuitas, unum corpus; multiq; ciues multa sunt membra, sibi inuicem cohærentia, &, quæ sibi utilia, atque necessaria sunt, mutuo subministrantia. quæ cum ita sese habeant, nihil sane magis absurdum, quàm ii, qui cum unum corpus esse deberent,

multa corpora fiunt, & in uaria ſtudia diſtracti, odiis, atque diſſidis ſeſe inuicem lacerant, atque conſumuntur. ſed uidete, ne mordentes inuicem, conſumamini ab inuicem. filii enim hominum, dentes eorum, arma, & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus. ſed pro oraculi uoce, uiri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos. primus qui occidit hominem, eumq; fratrem, uagus, & profugus fuit ſuper terram, de miſericordia Dei ſibi admodum diffidens. ſuſpenſus crepuit medius, qui tradidit Chriſtum ad mortem. in turpiſſimam ſeruitutem, & captiuitatem pluries redacti ſunt, qui tanquam mali coloni nullum non prophetarum occiderunt: & denique conſpiratione facta filium uineæ Domini Sabaoth hæredem occiderunt; ſeſe inuicem uerbis Hieremiæ prophetæ prouocantes: Venite mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra uiuentium, & non me-

moretur nomen eius amplius. ſed, ò uana hominum conſilia, & ſtulta principum impudentia: Fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania: aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum aduerſus dominum, & aduerſus Chriſtum eius. ſed qui habitat in cælis, irridebit eos, & Dominus ſubſanabit illos. ſimiliter Dathan, & Abyron cum diſſiderent à ueris Dei miniſtris Moſe, & Aaron, ſeditione facta contra eos abſorpti ſunt à terra; ita ſemper zelus, liuor, & contentio diſplicuit Deo. draco uero ille magnus, à quo bella, ſeditiones, proditiones, contentiones, homicidia, odia, adulteria, diſſidia, blaſphemiæq́; omnes proueniunt, quid denique mali non patitur? iam ſimilis erat Deo, plenus ſapientia, & decore, Luciferq́; pro gloria excellentia dicebatur, modo in imis terrarum relegatus tenetur, igni æterno, ac denſiſſimis tenebris cum Angelis ſuis deſtinatus. homicida nanque
fuit

fuit ab initio, ut diuina ſcripturarum oracula teſtantur: & in primis ſe ipſum, deinde alios ſibi adhærentes occidit rebellionis gladio, amiſſione gratiæ, & romphea culpæ. neque hoc ei ſatis fuit: ſed inſidiatus eſt homini, decepit mulierem; præuaricatus eſt Adam; iratus eſt Deus, illumq; è paradiſi deliciis expulit, maledictisq; omnibus ſubiecit; pœnituitq; eum feciſſe hominem, & denique diluuii aquis deleta eſt omnis caro. ſic itaque inuidia diaboli mors intrauit in uniuerſum mundum, eiusq; regnum uſque ad finem ſæculi duraturum eſt. hæc igitur omnia de puriſſimo ſcripturarum fonte; quibus apparet nihil magis Deum abominari, quam eos omnes, qui odiis, atque diſſidiis inſectantur fratres ſuos, quiq; ſeſe ciuilibus diſcordiis, atque homicidiis immiſcuerunt. nam ſi, qui odit fratrem ſuum, homicida eſt, ſecundum apoſtoli illius uocem; qui ex improuiſo occiderit, qui

imaginem Dei consulto prostrauerit, qua pœna mulctabitur? magnum utique scelus, & irremissibilis pene est culpa homicidii. in libro uitæ primo, & maximo mandato præcipitur: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & proximum tuum sicut teipsum: in his enim duobus mandatis tota lex pendet, & prophetæ. ideo nihil magis contra legem, nihil magis contra Deum, quàm odia, atque homicidia. Deus enim charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. & charitas benigna est, humana est, omnia suffert, omnia tolerat, & nulli malum pro malo reddit. cum igitur in hac caussa, dilectissimi ciues, non de regno, non de imperio, non de populari gloria agatur, sed de perpetua animorum salute, atque de sempiterna eorum damnatione, quæramus (oro) subtilius, cur ita inter sese diuisa sit ista ciuitas uestra, atque cur undique scateat

teat odiis, atque inimicitiis? multæ denique ſunt res, quibus natura humana offenditur; uerũ ſi bona noſtra tolluntur, ſi uitæ noſtræ inſidiis petuntur, ſi honor, & fama maculatur, cur ad forenſia iudicia non recurrimus, quæ idcirco à Deo ordinata fuerunt, ut res noſtras repetere liceat, citra tamen omnem animi perturbationem? nihil enim honeſtius, nihil magno, & præclaro uiro dignius, placabilitate, atque clementia. ſed uereor ne in ligno ſit, qnod lignum rodit. nam cum nobiles ſitis, bonisq; omnibus abundetis, uobis denique accidit, quod magnus ille ueritatis doctor, immo ipſamet ueritas diuitibus huius mundi prædixerat: Difficile eſſe, dicens, diuitem intrare in regnum cælorum. cum enim omnia nobis præſto ſint, nihil omnino agimus, nullam honeſtam rem exercemus; otioſi in uinea Domini ſtamus; in domo Dei uaſa inutilia, in area Chriſti (hoc eſt in eccleſia Dei) paleæ, & quiſ-

quiliæ

quiliæ ſumus, ſcandalum omnibus gentibus facti, ita ut nomen Dei blaſphemetur propter nos. ſic itaque diuitiæ improbitatis magis, quàm bonitatis ſunt miniſtræ: ſed iſtæ quoque ſalutiferæ, ſi aderit fides, ſi non deerit caritas; etſi ex eis cum liberalitate, atque munificentia proximis noſtris neceſſaria ſuppeditemus; ita ut uere de nobis poſſit dici: Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. principium igitur calamitatum ueſtrarum, dilectiſſimi mei, atque origo ciuilium diſcordiarum, nimiæ ueſtræ fuerunt diuitiæ; quæ Dei contemptum, & fidei naufragium pariunt: atque hinc diſſidia, odia, contentiones, emulationes, adulteria, ſtupra, & homicidia proueniunt. uerum ſi Deum uobis placabilem uultis reddere, ſi peccata ueſtra peroptatis redimere, oportet uos denuo non uerbis, ſed factis renunciare Diabolo; qui impietatem ſuggerit: renunciare

mundo, qui tanquam magnus quidam magiſter leges, & præſcripta promulgat; Deo utique, ac ſaluti noſtræ contraria. unde illud Dei, per Eſaiam prophetam: Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. nolite igitur, cariſſimi, diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt. Omne enim, quod in mundo eſt, concupiſcentia eſt carnis, concupiſcentia oculorum, & ambitio uitæ: qui autem fecerit uoluntatem Dei, manet in æternum. hinc amicorum proditiones, & malæ filiorum educationes: hinc denique proximorum iniuriæ, uindictæ, contumeliæ, detractiones, ſcurrilitates, comeſſationes, ebrietates, bella, & ſeditiones. cum igitur mundo, & diabolo renuntiare contigerit, uobis denique ipſis renuntiare oportet: ne philautia laboretis: ne plus, quàm conuenit, uobis coniunctiſſimos diligatis. immo, ſi manus, uel pes, uel oculus

ſcan-

ſcandalizauerit uos. ideſt ſi cognati, ac neceſſarii ueſtri, uel nimia erga uoſmetipſos beneuolentia à Deo uos alienare contenderent, abſcindere, & proiicere à uobis iſta omnia omnino neceſſarium eſt; & omnibus denique rebus humanis renuntiare, ut digni Deo, digni Chriſto efficiamini. templum enim Dei eſtis uos, & gens ſancta; genus electum, & regale ſacerdotium. non enim tantummodo in manu factis habitat Deus, ſed in iuſtis electorum animis. redite ergo ciues mei ad cor, reuertimini (quæſo) ad Deum; & dicite cum filio illo, qui totam patris ſubſtantiam diſſipauerat, luxurioſe uiuendo; pater peccaui in cælum, & coram te; iam non ſum dignus uocari filius tuus; ne uobis tandem dicatur, gens abſque conſilio, & ſine prudentia, utinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent. in Iordane, cum Chriſto baptizati eſtis, ne iterum ad mare Rubrum deuoluamini,

ad ſalſuginem mundi, & ad uitia huius ſæculi, tanquam canis ad uomitum iterum reuertentes. ſed ſtate cum Moſe in deſerto, & uidebitis mirabilia Dei; & cum Ieſu nauè Iordanem denique tranſite, ut ſimul cum eo pugnetis cum improbis, & cum malignis poteſtatibus, quouſque aſcripti in libro uitæ, tanquam ueri Iſraelitæ, mereamini introduci in terram fluentem lac, & mel: quæ eſt poſſeſſio futurorum bonorum. ſed interim in amœniſſimis eccleſiæ paſcuis poſiti: Rogate, quæ ad pacem ſunt Hieruſalem, & bene erit omnibus, qui diligunt illam. zelus, & contentio non ſit inter uos, ſed idem dicatis omnes: Deus enim eſt Deus pacis, & unitatis, non diſſenſionis. leuate capita ueſtra, ecce enim appropinquat redemptio ueſtra. Imitatoresq; Dei eſtote, ſicut filii cariſſimi. nihil enim ante ſæcula erat, præterquam Deus in ſemetipſo collectus, immortalis, diuinus, glorioſus, & æternus; nullaq;

laq; re omnino indigens: & tamen omnia quæcunque uoluit fecit in cælo, & in terra, ut nobis omnia ista postremo donaret. sed, ut nihil omnino tam magno beneficiorum cumulo deesset, filium quoque suum pro nobis tradidit ad mortem: quod diuinus ille Vates non tacuit, dicens: Quid est homo, quia magnificas eum? aut, quid opponis erga eum cor tuum? gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius. plantauerat Deus paradisum deliciarum, ut in illo hominem poneret: terram fecerat, ut illam possideret: fabricauerat cælum, ut denique illo in Deo frueretur. præuaricatus est homo, & statim ille non ad pœnas, sed ad remedia sanitatis confugit. Præsciuerat enim ab æterno diuina illa potestas, hominem sese peccatis omnibus obnoxium facturum: dederat legem in tabulis cordis, & lapideis: illuminauerat men

tes hominum, ut intelligerent, atque prædicerent myſterium illud ſalutis, quod denique in fine temporum reuelatum eſt. quis igitur tam ferreus, quis tam contumax, qui cum uideat Deum, non modo omnia, ſed etiam ſemetipſum nobis donaſſe, totum ſeſe cum ſuis omnibus è contrario non donet? uerum quia Deus nihil magis à nobis exigit, quàm eam caritatem, quàm exhibuit nobis, moriendo pro nobis; ideo leges utique amoris, & præſcriptæ mutuæ dilectionis totis uiſceribus ſuſcipiendæ ſunt: & non modo amici propter Deum, ſed etiam inimici ipſi propter Chriſtum diligendi ſunt. ipſe enim, cum nos eſſemus inimici Dei, & uaſa iræ, uaſa iniquitatis interpellauit (ſublato primum inimicitiarum pariete) pro nobis, & ipſe . idemq; ſummus pontifex factus introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta. ſic igitur, ciues mei, cum in cauſa iſta de perpetua (ut iam dixi) ueſtrorum

ſalute, ac de ſempiterna eorum damnatione agatur, odia deponite: Reconciliamini Deo, reconciliamini Chriſto, & pacem cum omnibus habete, & Deus pacis erit uobiſcum. iam enim in ueſtra facultate erat poſitum Deum ampleɑi, et filium exoſculari: ſed quia hoc iam primum non feciſtis, adhærentes maligno, qui fuit homicida ab initio, et trahentes funiculos iniquitatis, modo peccata ueſtra redemite eleemoſyna; ſicut enim aqua extingnit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum. urbem habetis potentem, agrum fertiliſſimum, deliciiſq; omnibus affluentem, homines ditiſſimos: idq; totum à Deo, à quo bona omnia procedunt: quare igitur ſalutem ueſtram non operamini, et communibus collectis paſcentes greges pauperum ueſtrorum, nullumq; eorum ſinentes oſtiatim mendicare; ſed omnibus pro indigentia eorum, quæ neceſſaria ſunt ſubminiſtrantes. talibus nanque hoſtiis placatur

catur Deus; cum nihil magis iubeat, nihil magis commendet, quam liberalitatem erga pauperes; ita, ut cum uenerit ad iudicandum, nihil aliud in iudicio illo ad iuſtificationem, & gloriam noſtram ſit prolaturus, quam miſericordiam, & munificentiam erga pauperes. facite ergo eleemoſynam: danti pauperi non erit defectus. cum uideris nudum operi eum, & carnem tuam ne deſpexetis. dicebat etiam propheta ille: Tunc erumpet quaſi mane lumen tuum, et anteibit faciem tuam iuſtitia tua. in hoc etiam cognoſcent homines uos eſſe, ex militia Chriſti, ſi habueritis caritatem ad omnes, et maxime ad domeſticos fidei. diligite uxores ueſtras, ſicut Chriſtus dilexit eccleſiam ſuam: nec acerbi ſitis in filios, et moroſi: ſed cum primum balbutire inceperint ad Chriſtum eos allicite, bonis eos moribus, et præclaris inſtitutis, atque doctrinis erudientes, et indiſciplinatos corripite.

qui

qui enim parcit uirgæ, odit filium ſuum. Quem amat Deus, corripit, & flagellat omnem filium, quem recipit. Seruos denique amate, illorum ſorti, atque conditioni compatientes; & modeſtia ueſtra nota ſit omnibus hominibus. Nec remaneat apud uos uſque mane merces mercenarii ueſtri: ſed in hoc contendite, ut nihil cuiquam debeatis, niſi, ut uos inuicem diligatis. Hæc itaque facientes, ueſtra iſta ciuitas, quæ deſciuerat à caſtris domini, & meretricata fuerat, cum amatoribus plurimis, tota in cædibus, atque ciuilibus diſcordiis, mutabit faciem, mutabit amatorem, chara erit Deo, deamabitur à Chriſto, & Angeli cuſtodient eam, ne forte offendat ad lapidem pedem ſuum: diuitiis nimirum ſpiritalibus replebitur, bonisq; omnibus redundabit, quouſque ueniat ſponſus, atque dilectus, & introducat illam in cellaria ſua; totaq; interim gaudens, ac læta

ſæpius

ſæpius decantabit: Rogate quæ ad pacem ſunt Hieruſalem, & bene ſit omnibus, qui diligunt illam.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible]

FLAVII ALEXII VGON

NOBILISSIMI CIVIS BRIXIANI,

de dignitate, atque præſtantia Reipub. Caſinenſis.

AD CARDINALEM POLVM Præſulem ampliſſimum.

PRAECLARISSIMARVM omnium rerum auctor ſemper fuit Deus, Præſul ampliſſime, cum me ergo ille ipſe commonefecerit, ut de dignitate, atque præſtantia Reip. Caſinenſis exararem, quæ mihi ille dictauerat, tibi quoque ut hæc elogia nuncuparem, iam ipſe decreuerat. idq;, ut arbitror, pluribus de cauſis: ſed hac potiſſimum, cum merito tu quidem, & ampliſſimum dignitatis gradum in eccleſia Dei obtineas, & ſummo quodam amore illam utique proſequaris; ita ut tui conſilio, auctoritate,

atque ſententia perpetuo tuendam, atque ampliandam ſuſceperis. ad te igitur hæc elogia currunt, non ut diſcas quod diu iam optime noueris; quippe cum plus dierum cum monachis, cum ſolitariis, quàm cum ſæcularibus hominibus uixeris: ſed ut dicta ampliſſimo tui iudicio, atque fideli teſtimonio approbes, & approbata legenda præbeas; ut ædificentur, qui in iſto floridiſſimo regno manent radicati in Chriſto, & à nullis ſe ſinunt tempeſtatibus diuelli, neque abſtrahi à doctrinis illorum, qui tanquam Philiſtæi obſtruunt puteos Iacob: arcam Domini capiunt, & furantur ſacra. ſed dextera Domini fecit uirtutem: dextera Domini exaltauit fideles ſuos. quæ iam dira undique perſecutionum rabie præmebatur, modo in ſolio gloriæ, in throno iuſtitiæ bonorum omnium plauſu, atque conſenſu ſedet regina gentium, & domina populorum. tu uero, qui cum propheta factus fueras, tanquam

quam passer solitarius in tecto, & declinaueras à facie regis; cum desperatæ nimirum essent res, & nulla omnino esset salus, neque remedium malis, tandem magno cum triumpho tanquam rex, & pastor animarum rediisti, unde tam graui, & communi omnium luctu, atque mœrore discesseras. præstet igitur uobis Deus temporum pacem, atque tranquillitatem, & ut oues, quæ perierant, consilio, auctoritate, & diligentia uestra reducatis in ouile Christi, & ad pascua ecclesiæ in obedientiam Dei; qui habitare facit unanimes in domo sponsæ suæ sanctæ: quæ una est columba, & speciosa in facie dilecti.

Post quam igitur uenit ille desideratus cunctis gentibus; de quo iusti, & electi omnes, qui sub lege, & ante legem fuerunt, in tam magna, & longa expectatione suspensi, cordis magis affectu, quàm uoce dicebant: Rorate cæli desuper, & nubes pluuant iustum, aperiatur terra,

& germinet ſaluatorem; qui exultauit ut gigas ad currendam uiam, & à ſummo cælo egreſſio eius,& occurſus eius,uſque ad ſummum eius: ineffabili tandem cordis affectu oſculatus eſt ſponſam ſuam: quæ tota in deſiderio eius poſita, atque accenſa dicebat: Stipate me malis, fulcite me floribus, quia amore eius langueo: & èn dilectus meus loquitur mihi, & ego illi. iam per Moyſen, iam per prophetas mihi loquebatur, modo per ſeipſum mihi loquitur: & introduxit me in cellã uinariam, ordinauit in me charitatem. tunc utique uetera omnia myſteria impleta ſunt: tunc uoces prophetarum ſiluerunt,ſciſſoq; uelamine templi,cæremonialia omnia ceſſauerunt; & ſparſo denique in toto terrarum orbe uerbi Dei ſemine(notus enim erat prius in Iudæa Deus, & in Iſrael magnum nomen eius) tunc ager eccleſiæ, tunc campi ſanctorum pullulare cœperunt germina uitæ, & pro conditione perſonarum fru-
ctum

ctum facere alium quidem centesimum, alium sexagesimum, & alium trigesimum. uaria enim sunt dona spiritus, uariaq; sunt munera diuina, & uarii gradus, atque ordines sanctorum. sicut enim differt stella à stella in claritate, ita merita sanctorum in firmamento ecclesiæ. alia nanque est lux solis, alia lunæ, & alia denique stellarum: sed unum, atque idem omnes in illo, qui est candor lucis æternæ. ipsæ nanque est lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Apostoli igitur, qui fuerunt fundamenta ecclesiæ, & tanquam cæli, qui enarrant gloriam Dei, magnum utique locum tenent. magnum prophetæ, & patriarchæ omnes, magnum illi, qui transierunt per ignem, & aquam, & salui facti sunt. sed quia in ædificio isto spirituali, & in cælesti illa Hierusalem, quæ uiuis ex lapidibus construitur, non omnes possunt esse columnæ illæ marmoreæ, quæ nullis
quas-

quaſſantur tempeſtatibus , neque plateæ , & muri eius ex auro puriſſimo, neque portæ, quæ nitent margaritis , præclarum ſubinde locum ſortiuntur conſeſſores omnes. uiduæ quoque, & illæ quæ nubunt in Chriſto; quæq; ſaluantur per generationem filiorum, & iuſti denique omnes. bonus enim eſt Deus, & bona fecit, & bono nulla cuiuſquam boni inuidia eſt. immo quicquid boni, quicquid pulchri in electos quoſque transfuſum eſt , id omne à ſummo illo totius bonitatis , atque pulchritudinis fonte emanat. quid enim habet homo, quod non accepit, & ſi accepit, quid gloriatur quaſi non acceperit? diuerſi igitur ſunt ordines Angelorum; & diuerſi gradus ſanctorum, ſed unum omnes in capite illo, qui eſt primogenitus in multis fratribus, & qui nimirum conſtitutus eſt rex ſuper Syon montem ſanctum Dei, prædicans præceptum eius. Omnes igitur electi ſancti, & omnino beati, ſicut

cut & ipse sanctus est, qui eos sanctificauit. sed qui plus omnibus laborauerunt, consequens est, ut maiori etiam gloria, & claritate diuina ditentur. in occidentalibus igitur partibus plures Deo grati, atque sanctissimi uiri in uinea Domini laborauerunt. sed inter istos ueluti sol micans clarissimus extitit monachorum dux ille Benedictus, Nursiæ nobilissima ex prosapia ortus, qui ad imitationem sanctissimi uiri Basilii Magni Doctoris Græci, præclaram quoque ipse composuit regulam. nam sicut ille uitæ sanctitate, & excellentia doctrinæ totam illustrauerat Græciam: ita iste omnes Italiæ partes miraculorum corruscationibus, & præclarissimis morum institutis perornauit: ita ut multi inclyti uiri ad illum utique confluerent, filiosq; ei in Christo domino erudiendos traderent. sic nanque Placidum martyrem, Maurumq; beatissimum habuit: opera scilicet, consilio, & uoluntate patrum: qui

&consulares homines erant, &primi fere inter Romanos optimates habebantur. Christi igitur, & Dei imitator factus, qui tacet antequam faciat, facit, antequam dicat, primum in seipso mandata omnia euangelica, & iustificationes Domini expressit, & numeros omnes impleuit, summumq; gradum perfectionis attigit; cunctaq; ei prospere admodum successerunt, tanquã optimo negociatori quærenti bonas margaritas: qui inuenta una pretiosa margarita, abiit, & uendidit omnia, quæ habuit, & emit eam. Omnia igitur potuit in eo, qui nos confortat, Christo domino: fuitq; tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum exhibet in tempore suo, & folium eius non defluit, & omnia, quæcunque faciet, prosperabuntur: plantatioq; Domini fuit, & prælectus à Deo, uocatus à Christo, specimen omnium uirtutum, & exemplar totius bonitatis christianæ

sese

ſeſe denique exhibuit, & ueluti ſydus quoddam fulgidiſſimum in eccleſiæ firmamento extitit: fuitq́; dignus, qui poſt Chriſtum, poſt Apoſtolos, leges, atque præſcripta daret uiuendi ſecundum Deum, & ſecundum hominem Chriſtum. & quam primum exemplo Chriſti (ut iam diximus) in ſe ipſo expreſſerat regulam, eam denique aliis (ſic Deo uolente, & dictante ſpiritu ſancto) promulgauit implendam, quæ declaratio ſermonum Domini fuit, inuitans homines ad culmen euangelicæ perfectionis. multa nanque ex conſilio, & multa ex præcepto obſeruanda traduntur. ex præcepto diligimus Deum, diligimus proximum, nudum ueſtimus, eſurientem paſcimus; & cuncta miſericordiæ opera adimplemus: ex præcepto peccata omnia uitamus, fidem, ſpem, & charitatem habemus; nihilq́; ſupra Deum, neque agros, neque filios, neque uxorem amamus, ſed omnia in

Christo, & per Christum diligimus. ex consilio (calcato in limine domus patre, & matre) siccis oculis ad uexillum Christi confugimus. ex consilio in cœnobiis, in cellulis, per cacumina montium, per deserta terrarum, uel soli cum angelis, & pastoribus, uel sociati cum aliis prælectis à Deo, & uocatis à Christo sub communi regula uel degimus, uel peregrinamur. ex consilio nihil utique cogitamus de hoc mundo, sed mundus nobis cum apostolo crucifixus est, & nos mundo: illudq; sæpissime in mente, & in ore uoluimus: iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet; & unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus uitæ meæ. ex consilio non modo quæ habemus, sed etiam quæ habere, & desiderare possumus, penitus renuntiamus, & uenditis omnibus, pauperibus, & egenis omnia nostra impartimus; ser-

uantes illud Christi ad iuuenem dictum (qui gloriabatur sese totam adimpleuisse legem) si uis perfectus esse, uade, & uende omnia quæ habes, et da pauperibus, et ueni sequere me. cum enim ipse diues esset in omnibus (nam Domini est terra, et plenitudo eius, orbis terrarum, et uniuersi, qui habitant in eo) pauper tamen pro nobis factus est. ex consilio illud est Pauli: de uirginibus præceptum non habeo, consilium autem do, ut uirgines, quæ nubere uolunt, nubant in Christo. ex consilio omnia religiosorum uota fiunt; sed tamen omnino seruanda, ut facta fuerint; cum nefas sit mentiri Deo. uouete, et reddite domino Deo uestro omnes, qui in circuitu eius affertis munera, diuinus ille Vates dicebat: Deus enim non irridetur. et nemo mittens manum ad aratrum (ut euangelica uerba testantur) et retro aspiciens, dignus est regno cælorum. nam uxor

Loth conuerſa fuit in ſtatuam ſalis, eo quòd reſpexerit ad id, quod iam Domini mandato reliquerat. ſed quid dulcius, quàm totum ſeſe conſecrare Deo, penitusq; ſe Chriſti legibus ſubdere? nam ſeruire Deo, regnare eſt. et lex Domini immaculata, conuertens animas: teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis: iuſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos: timor Domini ſanctus, permanet in ſæculum ſæculi: iudicia Domini uera, iuſtificata in ſemetipſa: deſiderabilia ſuper aurum, et lapidem pretioſum multum, et dulciora ſuper mel, et fauum. magnum quid mundus arbitratur potiri libertate ciuili, et eſſe dominum rerum: ſed quid maius, quàm morum libertate potiri, et ſui ipſius eſſe dominum? maiorem quippe laudem meretur qui ſe ipſum uicerit, quàm qui uicerit ciuitates, atque prouincias.

quam enim homo dabit commutationem pro anima sua, etiam si uniuersum mundum lucretur? magnum quid etiam philosophi ipsi existimant bene, et honeste uiuere, illudq; omnibus credendum proponunt, in quo uirtus sit, ei nihil deesse ad bene, beateq; uiuendum. sed quid maius, quàm sedere continuo ad pedes Domini, et audire uerbum illius, ita ut et nos possimus dicere: Non ne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in uia, et aperiret nobis scripturas? gustate, et uidete, quoniam suauis est Dominus, adhortabatur rex, et propheta, beatus uir, qui sperat in eo. homo enim ad hoc factus fuerat, ut frueretur Deo, sed quia peccauit, in hac ualle lacrymarum potus est, pugnaq; ei cum mundo, et cum se ipso indicta manet, et colluctatio non modo aduersus carnem, et sanguinem, sed etiam aduersus principes, et potestates, et rectores mundi tenebrarum

harum.

harum. ſentiebatq; ideo apoſtolus legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ, ut non quæcunque uellet faceret. & apoſtolus Petrus fideles admonebat dicens: ſobrii eſtote, & uigilate, quia aduerſarius ueſter Diabolus tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide. & Chriſtus ad diſcipulos: Satan expetiuit uos, ut cribraret ſicut triticum. ſed confidere in illo nos oportet, quia ipſe nobiſcum manet, uſque ad conſumationem ſæculi. ut ergo ſecurius curramus in ſtadio huius uitæ, & ſtemus fortiter in bello, & pugnemus cum antiquo ſerpente, uiā nobis multi ſancti uiri oſtenderunt, qua itur ad Deum, ſine tanto diſcrimine rerum, & qua fores noſtræ clauduntur, ne intret mors ad animas noſtras: quaq; ſubtrahuntur occaſiones pene omnes peccandi, & fomes malorum, declinando hominum conſortia, mulierumq; familiaritates. ſi enim Dauid non uidiſſet Berſa-

beam, neque desiderasset, neque peccasset. ita Salomon, si cum peregrinis mulieribus non se commiscuisset, ad idola colenda nō declinasset. Sed quid de matre nostra Eua? quæ cum uidisset, quod bonum esset lignum uetitum ad uescendum, et pulchrum oculis, aspectuq; delectabile, celit de fructu illius, et comedit, deditq; uiro suo. qui ipse quoque comedit, sicq; mors intrauit per fenestras nostras. prius enim poterat Adam non mori, non peccare, et non deserere Deum: peccauit, quia ipse uoluit, ceciditq; ab originali sua iustitia, et maledictis omnibus subiectus fuit. uiri igitur isti sanctissimi cum uiderent hominem ab adolescentia sua pronum ad malum, erexerunt cœnobia, abditos construxerunt recessus, quò homines sese possent recipere; leges, ac præscripta condiderunt, quibus illi bene, ac præclare sese ualerent constituere, turbas utique populorum declinantes, malorumq; consortia fugientes,

tes,

tes, ſimulq; cum propheta dicentes: Odi eccleſiam malignantium, & cum impiis nō ſedebo: omne enim, quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia uitæ. qui igitur talia uitæ inſtituta condiderunt, Magnus (ut diximus) Baſilius fuit: hocq; idem fecit diuus ille Auguſtinus, duoq; illa luminaria eccleſiæ Dominicus beatus, & uerus ille paupertatis amator Franciſcus: ſub quorum magiſterio multi utique docti, atque ſanctiſſimi uiri floruerunt, & modo florent, doctrina ſcilicet, & moribus, & ampliſſimis dignitatum muneribus. quæ inſtituta uitæ & à ſacris patrum conciliis, & à ſummis pontificibus comprobata fuerunt, ut bona, & ſancta, nihilq; à lege Dei, & mandatis, & iuſtificationibus Domini aberrantia. ſed quo plauſu, quo fauore, quibus auſpiciis incœperit nomen, uita, & præclara Benedicti ſanctiſſimi inſtituta florere, non ita facile dictu eſt. oleum effuſum fuit nomē

ſuum:

ſuum: ideo non modo adoleſcentulæ animæ dilexerunt illum, ſed mundi rectores, regesq́;, & principes terræ illum utique miro cordis affectu uenerabantur, atque colebãt: ita ut nulla eſſet pars terrarum, in qua cœnobia ſub eius nomine, & norma conſtructa non eſſent. modo etiã Germania tota, Hiſpaniæq́; ipſæ, Anglia inſuper, & Gallia plena ſunt undique celeberrimis, ditiſſimisq́; cœnobiis, ſub eius nomine conſtructis. ſed quid in Italia? cum tot cœtus uirorum, tot conſortia mulierum ſub eius inſtitutis undique degant? ſed cum inter alia ei donatum fuerit Caſtrum illud Caſinum in Campaniæ prouincia ſitum, ubi glorioſiſſime & uixit, & mortuus, & ſepultus fuit. hinc ex denominatione loci, & tutela, & norma tanti patris congregatio, quæ dicitur Caſinenſis, nomen, & originem accepit: quæ quantũ inter alias præclariſſimorum uirorũ congregationes floruerit, tot ſancti pontifices, tot probatiſſimi Cardinales, tot Pa-

triarchæ,& Epiſcopi clariſſimi docēt,qui eius monachi fuerunt. ut taceam de regibus, de principibus, & de nobilibus huius mundi, qui, dimiſſo regno, magniſq; opibus,& principatu, ſeſe monachos fecerunt. diutius nanque ipſa per multa annorum ſpatia optime gubernauit eccleſiam Dei. ita doctiſſimis,ita ſanctiſſimis,& probatiſſimis quibuſque uiris plena ſemper fuit. modo etiam in tam prauis moribus, & in tam corruptis temporibus redolet neſcio quid antiquæ illius dignitatis, atque excellentiæ, optimis nimirum fulcita legibus, plena bonis moribus, præclaris ornata inſtitutis: & Dei nutu, atque fauore,hoc utique præcipuum habet, ut diutius in ea nihil mali reſidere queat; ſed ut mare, ita ipſa immunda omnia ad litus proiicit. ocium igitur à ſuis penitus relegatum eſſe uidetur, ut pote quæ ſemper uel in aliqua honeſta corporis exercitatione, uel in diuinis laudibus eos omnes occupatos teneat: literarūq;

ſtudiis operam dare iubet, & in omnibus præclaris diſciplinis ad ſtatum monaſti-cum pertinentibus (ampliſſima mercede conductis ad hoc doctiſſimis, ac præſtan-tiſſimis quibuſque uiris) ſuos omnes eru dire, & nobilitare ſtudet. ſed neque idcir co concionari, neque publice legere, ne-que diſputationibus incumbere eos ſinit, idq; duabus de cauſis. primum quia hoc eſſet contra inſtituta maiorum, qui ſolita rii, non populares, qui contemplatiui, nō actiui eſſe uoluerunt: deinde quia id mi-nime neceſſarium eſſe conſpicit, cū mul-tæ aliæ congregationes ad hoc ſtudere ſu os iubeant, ut omnia iſta munera obire queant. taliq; de cauſa, quamuis multa cœnobia ſita habeat in urbibus, in oppi-dis, raro utique (niſi quantum neceſſi-tas exegerit) cum ſæcularibus homini-bus uerſantur: raro per urbes, & per op-pida diſcurrunt: mulieribusq; omnibus ſub pœna cenſuræ perpetuo interdicta manent ſua omnia domicilia. hoſpitalita-

tem cum omnibus ita à Christo commen datam ,& Apostoli uoce prædicatam,larga manu , & hilari uultu promptissime exercet : pauperes Christi præ foribus semper habet , illosq; nutrit,uestit, & recreat:cum peregrinis, cum domesticis,& cum diuitibus huius mundi benigne admodũ, & liberaliter sese gerit, nullumq; sinit abire,qui,si honesta petierit,non obtineat: facultatesq; suas omnes uel in his rebus , uel in erigendis cœnobiis, & construendis ecclesiis Dei,in iisq; parandis, quæ pertinent ad ministeriũ Christi , dispensat : felicibusq; admodum auspiciis quotidie ei crescunt diuitiæ : idq; cum Dei uirtute , tum summa eius cura,atque diligentia . nullus enim pater familias tã diligens, tam sapiens esse uidetur, qui ita bene sua omnia curet, dispenset, amplificet,& conseruet , ut ipsa facit . sui omnes apostolicam nimirum præseferunt regulam: & habentes uictum, & uestitum,nihil aliud requirunt: & apud se neque ali-

quid

quid pecuniarum, neque cuiuslibet rei aliquid tenent: ſed in uictu, cultu, & ueſtitu frugalitatem illam, atque mediocritatem ita à ſapientibus uiris laudatam, obnixe admodum ſectantur, in commune omnia habẽtes: parumq; non eſt, ita continentes eſſe in tantis opibus, atque diuitiis, quæ non minus ceteris Chriſti membris, & fidelibus, quàm ſuis diſtribuuntur. Sed quid de eius regiminis forma dicam, cum regiam illam ſpeciẽ præſeferat, quæ ita à probatiſſimis uiris laudatur? quæ conſtat ex regia, & ſenatoria poteſtate. quælibet igitur cœnobia pulcherrimam admodum reip. formam tenent. locum præſidis refert Abbas. ſenatorum locum referunt quidam electi ad hoc, ut adiuuent tanquam membra utilia ad bene illa regẽda: & in grauioribus rebus ita iuniores, ut ſeniores conueniunt ad deliberandum id, quod magis utile, magisq; honeſtum, & neceſſarium uiſum fuerit. ſicq; totum corpus huiuſcemodi

con-

congregationis regitur. loco regis unus eligitur, qui præsidens nuncupatur: loco senatus octo alii, qui à definiendis rebus omnibus, definitores dicuntur: idq; consilio, auctoritate, atque sententia omniũ prælatorum. ipsiq; nouem uiri summa cũ potestate, negocia omnia expediunt, leges, & statuta cõdunt, cœnobiaq; omnia, pro ut uisum fuerit, ordinare satagunt; dignitates conferunt; prælatiq;, & monachi omnes uel confirmantur ab istis, ubi iam assignati fuerant, uel ad alia loca habitanda mittuntur: et si quid mali, si quid contra optimam uiuendi formam natum fuerit, continuo uel ipsi, uel opera patrum, qui per singulos annos uisitant, prouincias eradicare omnino contendunt, ut omnia in ipsa rep. ordinate fiant, beneq;, & honeste cuncta procedant. tota igitur libera esse uidetur ipsa resp. purumq; imperium habet, & nemini subiecta, nisi soli Deo, & summo eius uicario Pontifici maximo: gaudetq; priuilegiis, & libertate

pon-

pontificia, regali, & imperatoria, multaq; oppida, & aliquas ciuitates sub se habet, multorumq; beneficiorum liberam te-net collationem, cum immunitate suorũ redditiuum, & diplomatibus amplissimis: multaq; cœnobia sanctarum uirginum in sui tutela, & protectione habet: & in tam magna rerum licentia, nihil utique con-tra Deum, nihil utique contra leges, & decreta principum agitur: sed omnia be-ne, & omnia sancte procedunt. lucentq; eius merita, & præclara eius opera tan-quam stellæ in ipso firmamento, & no-men eius in ecclesia Dei; in scena huius mundi est odor uitæ ad uitam multorum credentium in Christo. idq; totum ex e-ius gratia, qui est fons omnium bonorũ, atque ex eius uiri meritis, qui illam in æ-dificium Christi fundauit, atque stabiliuit supra firmam petram, ita ut neque à plu uiis, neque à uentis diuelli possit à lapide illo angulari, qui est Christus dominus; donec ueniat dies illa, in qua tota inte-


gra,

gra, atque pacata ſimul cum clariſſimo Duce ſuo fiet unum in Chriſto: Deo penitus unita,& angelorum choris ſociata. atque ita demum tota læta,& gaudens,in æuo illo ſempiterno ſæpius decantabit: Sicut audiuimus, ſic uidimus in ciuitate Domini uirtutum,in ciuitate Dei noſtri. Deus fundauit eam in æternum.

REVERENDISS.^mo ATQVE ILL.^mo CARDINALI POLO

Flauius Alexius Vgonius S.

PEROPTAREM equidem, præſul clementiſſime, ut perpetuo mihi daretur uti, fruiq; poſſe in Chriſto iucundiſſima tua conſuetudine: quippe cum nihil utilius accidere poſſit, quàm intereſſe diuinis iſtis, atque quotidianis tuis diſputationibus. ſed quia tecum coram agere non poſſum, liceat ſaltem mortuis hiſce litteris te aliquoties adire, atque tecum de omnibus eis rebus, quas temporis occaſio præſtiterit, familiariter loqui, ſicq; ex palma tui ipſius aliquid carpere, quod mihi ſalutem, atque gloriam denique afferat. multa quidem me honeſtare poſſe non ignoro; ſed, nihil magis animos honeſta induere, quàm præclariſſimorum uirorum frequentem admodum



consuetudinem persuasum habeo. anima iusti sedes est sapientiæ. atque hinc est, quòd ex purissimo Petri, atque Pauli fonte multa fluenta credentium populorum profluxerunt. iustus nanque ut palma florebit, & sicut cedrus libani multiplicabitur. quocirca nequeo non summopere eis inuidere, qui tibi quotidie assistunt, quiq; ex ore, atque tui præsentia tot clarissimos honestatis fructus colligunt. perpetuum nanque uer, atque paradisus deliciarum proculdubio est sapientis animus. ego flos campi, & lilium conuallium, dicebat ille, qui est primogenitus in multis fratribus. et ego sum uitis, uos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multũ. quandiu ergo in amœnissimo isto loco commoraberis, paradisum possidebit. sed eo meliorem, atque præstantiorẽ hoc istum esse apparet, quò meliora, atque præstantiora sunt spiritualia, & inuisibilia uisibilibus, atque materialibus rebus. iste

situ

ſitu quidem pulcherrimus eſt, undique ſoli expoſitus; ab una parte Benaci lacum habens; qui ſæpius, ut poeta ille ait, fluctibus ſurgit marinis; quiq; inſularibus locis, atque optimis piſcibus longe aliis præſtat; ab alia amœniſſimis collibus circumſeptus. iſtic undique fontes ſcatent. hac illac nemora, prata uirentia, uineæ, oliuæ, abietes, lauri, cedri, oppida præterea, rebus omnibus neceſſariis referta, in modum coronæ illum ambiunt: ita, ut nihil omnino ei deſit ex hiſce rebus, quæ loca campeſtria (uiſu quidem pulcherrima, & uſu grata, atque iucunda) efficere poſſunt. ædificia, ut uidere licet, atque domus ſacra quid pulchri, quid commodi non habent? magno quidem ſumptu, atque ſplendidiſſima arte conſtructa fuerunt. modo igitur paradiſus paradiſum poſſidet. ſed hoc iſte præſtantior, quòd unus cum tempore tandem omnino euaneſcet, alter uero nunquam pulchritudinem, at-

que ornamenta sua amittet ; sed in meliorem, atque diuiniorem statum sese denique reformabit. anima iusti est tanquam hortus irriguus, & fons signatus: & in hoc horto sunt rosæ, sunt uiolæ, sunt palmæ, sunt oliuæ, hic denique cedri, atque cupressi, hic cinnamomum, & balsamum, atque mirrha electa, quæ omnia totum pene terrarum orbem mirifica odoris suauitate implent. Christi bonus odor summus in uniuerso mũdo, dicebat ille, qui post odorem unguentorum suorum multa millia populorum traxerat. paradisus igitur paradisum possidet. quàm ergo felix, quàm denique beatus essem, si mihi daretur tecum semper commorari, ut flores, ut lilia, ut mala Punica colligere possem, atque ex tuis clarissimis fontibus aquam haurire, qua flumina in uentre meo fierent aquæ salientis in uitam æternam. Tu nanque, tanquam nouus Isaac, atque Iacob, iam olim, dum admodum adolescens esses,

ad

ad fontes eloquiorum Dei anulum fidei ſapientiæ dediſti, quæ ex tuis amantiſſimis complexibus concepit, & peperit pulcherrimam filiorum ſobolem; qui ſunt immortales generoſiſſimi tui ſpiritus fructus. fodiſti tu quoque puteos, quos Philiſtæi obſtruere non potuerunt. pugnauerunt contra te reges: inſurrexerunt contra te gentes: ſed tu manu quidem fortis, & uultu deſiderabilis magnifice eos uiciſti, magnificeq; ideo coronaberis. immaniſſimam inſuper ſuper montem excelſum ampliſſimæ dignitatis tuæ feram illam iugulaſti, quæ ſpoliis, atque trophæis totius mundi onuſta, atque ſuperba incedit. illa nanque cupiditas, imperii, & dominationis, quàm dura eſt domina, quàm imperioſa. quæ pars terrarum, quæ conditio eſt hominum, in quos illa non dominetur. ſtrenue tamen tu illam uiciſti; magnificeq; ei dominaris. optime perſuaſum habeas, nihil difficilius eſſe, quàm bene im-

perare. atque ita demum, dum præstantissima morum, atque animi tui libertate uteris, iam totius mundi dominus effectus es, manentq; tibi apud Deum, & homines immortales triumphi, & per æterna sæcula nunquam peritura gloria.

REVERENDIS ABBATIBVS SANCTI BENEDICTI, in concilio Tridentino congregatis, ex Italia milites Christi.

QVOD sancta Synodus Tridentina ordinauit circa Eucharistiæ sacramentum, & circa particulares Episcoporum iurisdictiones, optima cura, ac diligentia uestra cognouimus. nihil tamen noui, circa fidem huius sacramenti, sancta ista Synodus nos tenere iubet, nisi quod iam in præteritis conciliorum decretis terminatum fuerat. etsi ueteribus aliquid noui pro necessitate temporum addere uisum est, hoc solummodo apud catholicos ecclesiæ patres disputatum, non apud sacramentarios, & protestantes obtentum, neque terminatum fuit. cum his tamen, tanquam cum nouis Philisteis, qui obstruunt puteos Iacob, qui regi Dauid insidiantur, regnumq; eius occu-

pare contendunt, qui inconſutilem Chriſti ueſtem ſcindunt, uerbum Dei adulterant, ſchiſmatibus omnia implent, pugna nobis, & exinde uictoria omnino neceſſaria uidetur. captis regibus, debellatis factionum principibus, expugnata tubis ſacerdotalibus Hierico, ſtatim omnia in ius populi Dei, in poteſtatem ueri Iſraelis denique cedent. non indigent, qui ſani ſunt, medico, ſed qui male habent, quiq; alios peſſimorum ſtudiorum, atque doctrinæ contagione male ſeſe habere faciunt. mediator Dei, & hominum, cũ ab æterno propoſitum haberet ſeruare oues, quæ perierant, domus Iſrael, in primis aſſumpta carne uicit peccatum, uicit mundum, malignas debellauit poteſtates, uicit mortem, atque ita ſublato demum inimicitiarum pariete redemit hominem ex Diaboli poteſtate, & in priſtinum, ceu æquiualentem, innocentiæ ſtatumreduxit. qualis eſt corporum, talis eſt utique cura ani-

morum.

morum. ſublatis nanque humoribus, qui circa uitalia peccant, paulatim omnia in optimum uitæ ſtatum reformantur. non poteſt amari quod impium, quod nefarium, quod blaſphemum, & alienum à ueritate declaratum fuerit. amabilis eſt Deus, amabilis eſt ueritas, uirtus, præclaraq; ſimul omnia ſemper amabilia fuerunt. Hæreſiarchæ igitur, & aſſertores hæreſum principes liberrime, ut uenire poſſint ad iſtam Synodum, tota exoptat Italia: idq; ut eueniat, Deum etiam, atque etiam rogat: ut Chriſti cauſa non ui, & armis, ſed iure, & æquitate tractetur, nullaq; ſit amplius tergiuerſandi facultas, nullus excuſationi locus, nulla à caſtris domini deſciſcẽdi poteſtas; ſed cominus congredi, & uincere (pro ut Chriſti cauſa, ueritatiſq; negocium exegerit) uel uinci neceſſarium ſit. ueritas una, mendacia multa, una eccleſia, ſynagogæ multæ, una fides, unum baptiſma, & unus Chriſtus, Scythæ, Iudæi,

Turcæ diuersa quidem fide, & ratione inter se sentiunt, atque uiuunt: sic inter protestantes. Anabaptistæ, Sacramentarii, Confessionarii, etsi qui horum sunt similes uaria utique inter se dogmata sequuntur: quia sub patre mendacii, sub principe dissensionum militant. una è contrario est columba, una speciosa, una formosa, soli dilecto suo Christo cognita: quam ipse proprio ore alloquitur, quam amplexatur, inter cuius ubera die, noctuq; commoratur: & idcirco multitudinis credentium erat cor unum, & anima una. non aliud Petrus, aliud Paulus, sed idem omnes electi dicebant. nunquam enim diuisus fuit Christus: sed integer, & ubique totus semper permansit, amator pacis, & ueritatis: qui fecit utraque unum, quiq; habitare facit unanimes in domo ecclesiæ, pacis iura, & unitatis decreta hominibus duntaxat bonæ uoluntatis benigissime concedens. sed dum in humanis agunt, multæ tribula-

tiones

tiones iustorum : zelantur nanque potissimum super iniquos, pacem peccatorum uidentes. hac quoque tempestate (optime Deus) uenerunt gentes in hæreditatem tuam, & armorum ui obtinuerunt popolum tuum, & ciuitates nostras, ut uictores, occupauerunt: templum quoque sanctum tuum, quod est populus Christianus, ipsi coinquinauerunt abominationibus suis, ubique dissidia, ubique schismata, ubique uitiorum portenta disseminantes; nouas ubique idolatrias, noua dogmata confingentes: magisq; nunc ideo temporis uigent Epicureorum dogmata, quàm Christi: omnes quærunt, quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi. Hierusalem, ciuitas electa, meretricata est cum amatoribus suis, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo: immolauerunt ingrati homines dæmoniis, & non Deo, ambitioni, luxui, carnisq; uoluptatibus sese prorsus deuouentes.

Magna iam olim Græcia, quæ præstantissimis morum institutis, quæ fide Christi, quæ sanctissimis, atque clarissimis uiris super omnes mundi prouincias florebat, nunc manifesto Dei iudicio ita deleta est, ut in ipsa Græcia quæramus Græciam. incolæ nanque eius ab exteris nationibus omnes pene sub peccato hæresum uenundati tenentur. sic Asiæ, atque Africæ prouinciæ, quæ per beatissimos Apostolos, iam olim Christo desponsatæ fuerant, quasq; tot magni, atque sanctissimi uiri illustrarunt, dimisso Christo ad primos amatores, per uarias hæreses redierunt. Europa quoque ipsa desciuit à castris Domini: tota inter se diuisa est, tota nunc ardet bellico furore: quæ fuit regina gentium, nunc facta est serua dæmoniorum. expectauit Dominus ut faceret uuas, & fecit labruscas. sed quomodo conuersa es in amaritudinem uitis alienæ. principes tui pessimi, tyrannidē, nullo habito bonorum delectu, in po-

pulos

pulos ſibi ſubiectos exercentes, nomen tantum pietatis uſurpant, ſed, quid ipſa ualeat, ignorant. illa cupiditas, quæ eſt imperii, & dominationis, quàm dura in tales eſt domina, quàm imperioſa. quid faciunt inter uexilla Chriſti gladii? quid bellorum incendia? quid hominum ſtrages, atque undique rerum omnium interitus? quid rabies ſeſe ulciſcendi? & dira dominandi libido? ſic ne reformabitur eccleſia? ſic ne, quæ Chriſti, quæ pacis, quæ uere pietatis ſunt, tractabuntur? ſed, ò bone Deus: iam omnino immutatus eſt rerum ordo: contra iura naturæ omnia fiunt: ſed mala tua potiſſimum deploranda eſt ſors, ò Germania, atque Anglia, ampliſſima regna, nobiliſſimæ mundi prouinciæ. quis nanque uos faſcinauit? quis à Chriſtiana ueritate diſcedere docuit? iam olim ueræ pietatis magiſtræ, nunc matres errorum, nunc ſedes hæreſum, nunc domicilia ſchiſmatum factæ eſtis, quia nec unus ad tempus

in ecclesia sacerdos, nec unus ad tempus iudex uice Christi à uobis cogitatur. redite præuaricatores ad cor, reuertimini dispersæ oues ad ouilia Christi, reuertimini, obsecramus, ad unitatem ecclesiæ; ut, quæ fuistis aliquando tenebræ, nunc lux fiatis in Domino. una est enim ecclesia cunctarum gentium mater; extra quam non est salus: unum ecclesiæ caput Christus, unus illius uicarius Petrus, cui soli super maris aquas ambulari datum fuerat, & unus electorum Deus. Omne regnum in se ipsum diuisum desolabitur. iam uestræ incipiunt captiuitates; prope iam sunt uestræ trasmigrationes. Persæ, Medi, & Scythæ iam sedent in portis uestris, iam occupauerunt fines uestros, & inhiant super sanguinem uestrum. sed ut quid Deus repulisti in finem? iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ: memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio, tu enim dixisti, quod portæ inferi

non præualebunt aduersus eam: idq; uerum esse domi exemplo declarasti. uenerunt pluuiæ, flauerunt uenti, & impegerunt in illam; & non corruit, quia bene fundata est supra firmam petram. sed dies mali sunt. non omnes diuina intelligunt mysteria. non omnibus datum est introduci à rege in cellaria sua, & uidere ubi pascat, ubi cubet dilectus, uel ubi commoretur, uel qualis sit eius sponsa. Vos igitur amplissimi patres, qui in nomine Christi congregati estis, quibus data est omnis potestas ligandi, atque soluendi quæcunque in cælo sunt, & in terra, congregate dispersos Israel in sinum matris Ecclesiæ ad gregem domini, ad ouilia Christi oues reducite, quæ iam olim perierunt. filios prodigos amplexamini, date illis stolam albam, & annulos fidei in manibus eorum. filios quoque mendaces ex fornicatione natos, qui curuauerunt genua sua ante Baal, qui dirupto uentre exierunt, & pugnauerunt contra

ma-

trem, qui nunquam fuerunt ex nobis, non habentes uestem nuptialem, foras proiicite, anathematizantes illos: ut qui cum Christo permanserunt in tentationibus mundi, carnis, & diaboli, tanquam aurum in fornace probati, idem omnes dicant in Christo, idem omnes sapiant, idem prædicent, & intelligant, & amplius non sint hæreses inter nos: sed ita demū aliquando fiat unum ouile, & unus pastor: quod ut eueniat, spiritus, qui à patre procedit, & filio, denique concedat.

FLAVII ALEXII VGONII,

NOBILISSIMI CIVIS

BRIXIANI,

EPITAPHIVM IN MORTE clariſſimi uiri Baſilii Leonis Mantuani.

MVLTA quidem, ac pene innumerabilia ſunt huius uitæ mala, quibus natura hominum, omnisq; alia creatura, quæ ingemiſcit, & parturit uſque adhuc, obnoxia eſſe uidetur; unde Neuius poeta, Pati, inquit, neceſſe eſt multa mortalem mala. ſed nihil moleſtius, nihil grauius, nihil toleratu difficilius accidere poteſt, quàm, cum clariſſimi, & amantiſſimi uiri ſupremo tandem conceſſerint fato. aſſidua id quidem docet experientia. diuitiæ nanque ſi pereunt, ſi corporis uires uel ſenio, uel morbo debilitantur, ſi ingenii acumen obtunditur, ſi memo-

ria confunditur, si sensus hebetantur, si fama maculatur, si honor tollitur, si persecutio oritur, moleste id quidem ferimus, tristamur, ac denique summopere dolemus: sed dolor, quem ex hisce rebus capimus, ratione utique, uel tempore minuitur, sedatur, ac denique penitus tollitur. At è contrario siquis carorum, aut si quis magnus, aut amicissimus uir è uita excesserit, non ita facilis inuenitur consolatio. Dauid nanque plus doluit, cum mortem Absalon filii sui intellexit, quàm cum insidias parari, & bellum sibi ab eo iniquissime inferri conspexit. Iacob, audita morte Ioseph, scissis uestibus indutus est cilicium, & luxit filium suum diutissime, & à nemine unquam uoluit consolationem accipere: sed dicebat: descendebam ad filium meum lugens in infernum. Lælius quoque, nobilissimus ciuis Romanus, atque alii clarissimi uiri, amicitiæ gloria excellentes, ex amicorum morte non potuerunt

runt non magnopere triſtari, ac dolere. ut enim ex eorum præſentia, & conſuetudine maxima, ac pene infinita bona nobis proueniunt, ita ex eorum abſentia multa è diuerſo mala ſuccedunt. nam in cunctis præclaris artibus, & diſciplinis nihil profectò magis nos inſtruit, nihil magis animos honeſta induit, quàm bonorum, ac ſapientiſſimorum uirorum conſuetudo. Cum ſancto, ait propheta Dei, ſanctus eris, & cum peruerſo peruerteris. nam ſi bonos mores corrumpunt colloquia mala, multo magis praua, ac facinoroſa exempla. qui enim tetigerit picē, inquinabitur ab ea. Salomon quamuis omnium ſapientiſſimus eſſet, alienigenæ tamen mulieres ad idolorum cultum illum impulerunt. Sanſon, uirorum fortiſſimum, Dalida meretrix inſidioſe uicit. prima mulier ſeduxit uirum, & Deo rebellem, & inobedientem fecit. Marcum Antonium, magnum uirum, & ingenii nobilis, quæ alia res perdidit,

nisi ebrietas, & Cleopatræ amor, ac consuetudo. quandiu ergo clarissimi, ac sapientissimi uiri inter nos uersantur, quãdiu uiuunt, non ita sol prodest corporibus, ut ipsi animis. uiget morum disciplina, uiget pietas, uiget charitas, uiget humanitas, uirtusq; omnis inter homines floret. idq; maxime fit, si uirtuti eorum potentia coniuncta fuerit. quod enim animum in corpore, id in republicã principem esse dicunt. unde si bonus ille, si honestus, si iustus, si pius, si sapiens, si omni denique uirtutum genere cumulatus fuerit, tale nimirum, aliqua saltem ex parte, totum reipublicæ corpus oportet esse. studia nanque principum, simulq; domus, ac familiæ eorum uel uirtutum, uel uitiorum omnium gymnasia quædam publica à quodam sapiente dicebantur. sed quorsum hæc? ut omnes quidem intelligant, nos ex morte summi, ac præclarissimi uiri non mediocre damnum, ac iacturam accepisse.

piſſe, ſed ſimul cum eo maxima, ac pene innumerabilia bona perdidiſſe. modo nanque defecit gaudium cordis noſtri: quis igitur ex tali eius euentu continere lacrymas potuit? quis non fleuit? quis non doluit? cum omues quidem puro, ac ſincero affectu illum utique diligerent, omnes carum haberent, illum omnes obſeruarent, ac colerent, ſimulq; omnes una uoce ſumma laude dignum eum dicerent, ac prædicarent. non mediocriter ergo beatus, qui dum uiueret amabilem ſe cunctis, dum è uita exceſſit, deſiderabilem ſe omnibus exhibuit. nos miſeri, qui modo in huius uitæ maritalis, ac tanti uiri præſentia, & moderatione caremus. ille felix, qui ſumma uirtute, ſummo ingenio, deuictis, ac debellatis hoſtibus, tandem ad portum ſummæ pacis ex longa nauigatione glorioſiſſime peruenit. ſed poſtquam eius conſuetudine amplius frui non datur, iuuet ſaltem talis uiri facta ex admirabili eius

uir-

uirtutè peracta, alto repetere principio; ut omnes intelligant, quanta in hoc uiro fuerit animi uirtus, quæ ingenii gloria, quæ doctrina, quæ pietas, quæ morum facilitas, quæ uitæ integritas, quæ præsentiæ dignitas, quæq; in omni genere bonorum felicitas; sicq; memoriam uiri tot, tantisq; ornamentis præditi suspiciant, uenerentur, ac colant: atque demum clarissimo eius exemplo ad uirtutis studia incendantur. hic nanque ex nobili stirpe natus, cum generosæ, ac præclaræ indolis esset, bonis utique & moribus, & institutis imbuebatur, remotusq; ab oculis populi, omne pene ociũ, & tempus in litterarum studiis conterebat. sicq; in dies sapientia, & uirtute non magis crescere, quàm ætate, uidebatur: uoluptatibus interdum liberalibus, & hõnestis, ut piscationi, & uenationi, operam dabat; quemadmodum enim aruis, ita ingeniis remissionem dare iubemur: ut meliores, acrioresq;, cum quieuerint,

sur-

ſurgant. atque in omnibus illud ſeruare, ne quid nimis; ædes ſacras frequentare, malorum conſortia deuitare, cum paucis, iisq; probatæ, & clariſſimæ uitæ, uerſari conſueuerat; tamq; honeſte uitam ducere, ut cuncti eum ſuſpicerent, atque amarent, adeo ut ſumma omnium ciuium ſpes in eum coniecta eſſe uideretur. nulli malum pro malo reddebat: cum optime noſſet, magis ſecundum Deum eſſe, iniuriam pati, quàm facere. Deum itaque timere, & mandata eius ſeruare, parentes honorare, ſenes ut patres uenerari, omnes puro affectu diligere, atque ita ſane de cunctis bene mereri uidebatur. cum ergo quotidie adiret Eccleſias, atque ibi deuotiſſime orationi inſtaret, Deũq; continuo tota cordis deuotione precaretur, ut ſe à mundi illecebris, & oblectamentis immunem ſeruaret, atque in numero militum ſuorum aſcriberet, Dei nutu accidit, ut illud de Petri interrogatione euangelium

quadam

quadam die decantaretur: ecce nos reliquimus omnia: & alia quæ ſequuntur. ad quem Chriſtus reſpondiſſe fertur: quòd omnis, qui reliquerit domum, uel patrem, uel matrem, aut fratres, aut ſorores, aut agros propter nomen ſuum, centuplum accipiet, & uitam æternam poſſidebit. quapropter diu, ac multum ſecum ipſe cogitans quid agere deberet, hocq; ſecum potiſſimum uerſans, melius ne eſſet inter Aegypti delicias ſe à malis omnibus continere, cælibemq; uitam ducere, an tutius in deſerto, una cum electis Dei, ſummo regi militare, ac deſeruire; propoſuit tandem (relictis omnibus, quæ ſuo iure poſſidebat, quæq; animo deſiderare poterat) ſe mundo ſubducere, & in aliquem ſeceſſum ſe conferre, ut libere, & expedite Deo poſſet uacare. atque habita tali deliberatione non multo poſt Deus illum, cum iam eſſet annorum uiginti, in diui Benedicti familiam tranſtulit: in qua Chriſti gratia adiutus,

intus, ſtatim in omni uirtutum genere ſeſe exercere cœpit, atque in tantum proficere, ut unuſquiſque magis illum admirari, quàm imitari poſſet. nam ſicut apis, ita ipſe faciebat. in uno manſuetudinis florem, in alio patientiæ fructum ſibi eligebat. ab iſto doctrinam, ab illo pietatem, ab alio mentis deuotionem diſcebat. ſicq; uniuerſos in pietatis, ac uirtutis ſtudio imitari contendebat, ut omnes utique uinceret, omnes ſuperaret, atque breui in tempore ſummus in omni bonorum genere euaderet. quapropter cum maximam de ſe ſpem daret, modo hanc, modo illam ſubire dignitatem cogebatur. atque in omnibus tam ſtrenue, tam ſapienter ſeſe gerebat, ut quamuis adhuc iuuenis eſſet, ad ſummos tamen honores prouectus fuerit. monachorum igitur, pater, & abbas factus facile dici non poſſet, quanta cum ſapientia, & moderatione Chriſti oues paſceret, atque regeret: ita omnia tem-

perans, ut nullus, quod honeste fieri, ac sibi recte imperari existimabat, recusare posset. in primis ergo Christi pax, & concordia in grege suo uigebat, optime enim nouerat, quod Diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens, si quem aliquo modo extra ouile Christi aberrare uideat, ut deuoret, mactet, & perdat: quodq; nulla tam firma domus inueniri potest, nulla tam potens ciuitas, quæ non odiis, atque dissidiis funditus possit euerti. Christi ergo uirtutem, Christi pacem, Christi concordiam in se ipse tenens, omnibus eam aliis prædicabat. nunquam in illius ore, nisi Christus, nisi pax, nisi misericordia inerat. & ut ocium à suis tolleretur (quod est radix omnium malorum, & uiui hominis sepultura) uolebat, ut omnes uel manu aliquid agerent, uel ingenio sese in litterarum studiis exercerent: sicq; uitam occuparent, ut nunquam eos Diabolus inueniret ocio, ac dissidia torpentes. breue enim tem-
pus

pus ætatis, ſatis eſt longum ad bene, honeſteq; uiuendum; & plus patet una dies bonorum, quàm tota pene ætas malorum. non enim refert quàm diu, ſed quo modo uixeris. in uinea ergo Domini, uolebat, ut intrantes omnes laborarent, bonisq; & moribus, & artibus ſeſe honeſtarent. ſicq; inter ſuos omne bonum uigebat, ut Deus ipſe inter illos eſſe uideretur, adeo ut mihi quidem beate uixiſſe uidear, quia cum tali uiro uixerim. ſed quid plura? idem uelle, idem nolle, omnium eadem erat uoluntas. ut enim pater, ita filii eſſe contendebant. nam ſeſe eis exemplar omnium uirtutum exhibuerat, non minus docens exemplo, quàm uerbo; immo nunquam illis quoque faciendum proponebat, quod in ſe primum non haberet expreſſum; cauens ne, quod in ſpirituali ædificio ædificaret uerbo, deſtrueret exemplo. ſi quis in aliquo delicto præoccupatus fuerat, huiuſcemodi in ſpiritu lenitatis inſtruebat,

bat, & cum apoſtolo omnia omnibus factus erat. atque ideo cum ipſe quidem nulli grauis, nulli moleſtus eſſet, aliorum tamen infirmitates tolerare ſemper paratum ſeſe exhibebat. hoſpites, ut Dei amicos honorare, pauperes, ut membra Chriſti libentiſſime ſuſcipere, atque eis pro cuiuslibet neceſſitate ſubuenire ſatagebat. nec quiſquam ſiue pauper, ſiue diues aliquid ab eo petebat, quod ſi honeſtum eſſet, & dare poſſet, non acciperet. pater pauperum, ſpes miſerorum, refugium orphanorum ipſe utique uocabatur, & erat. & idcirco omnes illum ſummopere diligebant, omnes uenerabantur. mundi quoque principes, ac huius ſæculi diuites ita illum diuerſis de cauſis, ſed potiſſimum pro ſua iucundiſſima conſuetudine carum habebant, ut nihil gratius, nihil utilius eſſe dicerent, quàm talis uiri uti, fruiq; in Domino poſſe conſuetudine. magnum quid dicam: ſed tamen, mihi teſtis eſt Deus,

quod

quod uerum. nunquam me ſcilicet in quouis rerum ſucceſſu, faciem eius immutatam uidiſſe. ſolebat enim dicere, quod miſer prorſus ſibi uidebatur, qui multa mala perpeſſus non eſſet. non enim ſcire poſſe, quid bonum eſſet, qui malum expertus non fuiſſet; cum ſiquidem magnanimos labor nutriat, & mortuum mare uita ſecura ſit, Quem enim diligit Deus corripit, & flagellat omnem filium, quem recipit. unde apoſtolus, Si in hac uita, inquit, ſocii fuerimus paſſionum, erimus & conſolationum. atque ideo tanquam aurum in fornace probauit electos Dominus, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos, & in tempore erit reſpectus illorum. in utraque ergo fortuna idem animus illi erat, & rebus in arduis æquam mentem, nec ſecus in bonis ab inſolenti temperatam lætitia ſeruabat. diuitias uere quidem contemnere, paupertatem amare uidebatur; cum optime intelligeret, quod multa petentibus de-

desunt multa, quodq; bene est, ut Horatius dicebat, cui Deus obtulit parca, quod satis est, manu. sapiens quoque Deum orabat: Diuitias, & paupertates ne dederis mihi, sed tantum uictui meo tribue necessaria. diuitiæ enim sunt ad legem naturæ composita paupertas: cum paucis, minimisq; Natura contenta sit. in scena quoque huius sæculi gloriam, & plausum, quo magis ex præclaris suis actibus merebatur, eo plus refugiebat, soli Deo placere desiderans. sed sicut umbra corpus, ita gloria uirtutem semper sequitur. nihil est enim uirtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius. nam huius quidē causa ubicunque uel fama, uel præsentia innotuerat, uirtus eius ad cælū usque efferebatur, & nomē eius ubique celeberrimum erat. quippe cum illum immortali gloria, ac laude dignum boni omnes uiri uno ore faterentur. honores uero, quorum cupiditate quidam inflammantur, ita contemnebat, ut ni-
hil

hil inanius esse, nihil leuius existimaret. experimento nanque didicerat nihil difficilius esse, quàm bene imperare, & animarum curam omnium esse periculosissimam. assentationi, quæ utique uitiorum est adiutrix, tollitq; iudicium ueri, atque id adulterat, nunquam aures apertas tenebat. sed sic cum assentationibus agebat, ut aspis, quæ obturat aures suas, ne audiat uocem incantantis sapienter. nulli detrahebat, nec aliquem de proximo suo occulte detrahentem libenter audiebat. optime enim nouerat, quod ut uentus Aquilo dissipat nubes, sic uultus tristis linguas detrahentium. unde uir sapiens, Cum detractoribus, inquit, ne commisceatis: quoniam repente ueniet perditio eorum, & ruinam utriusque quis nouit, tam scilicet eius, qui loquitur, quàm illius, qui audit loquentem. scurrilia, & uana ab eius ore longe aberant, sermoq; eius sapientiæ sale erat conditus, atque omni urbanitate, & grauitate

uitate plenus. & in primis delectabatur de scripturis aliquid proponere, libenter audire, respondere uerecunde, recta suscipere, praua non acriter confutare, disputantem contra se magis docere, quàm uincere. lacrymas Deo, non hominibus offerebat. ieiunia in aurigæ modum pro lassitudine, & uiribus corporis attemperabat. uerum quid agis, ò anima? quid te subtrahis? quid tergiuersaris oratio? quasi enim mortem illius differre possimus, & uitam facere longiorem, sic timemus ad ultimum peruenire. omnis enim caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos fœni. ubi nunc decora illa facies? ubi totius corporis dignitas? quo ueluti pulchro indumento pulchritudo animæ uestiebatur. cum ergo per aliquot annos urinæ maximum ardorem passus esset, obturatis tandem, ac putrefactis meatibus illis, quibus talis humor digeritur, febribus æstuare cœpit. sed dum calor uenarum fontes exhauriret,

hauriret, ſentiens mortem ſibi per momenta magis appropinquare, die, ac hora, qua Chriſtus in præclariſſima illa cœna ſacramentum corporis, ac ſanguinis ſui diſcipulis dedit, uoluit etiam ipſe uiaticum aſſumere. ſed antequam aſſumeret, pulcherrima oratione omnes cœpit magno, & excelſo animo ad contemptum huius uitæ, ad amorem Dei, & ad deſiderium patriæ cæleſtis adhortari. hic demum de erratis ſuis ueniam ſibi ab omnibus dari poſtulauit: aſſumptoq; deuotiſſime Euchariſtiæ ſacramento, & extrema tandem unctione perunctus, ſæpius in ore ſuo illud uoluebat: Sitiuit anima mea ad Deum fontem uiuum: quando ueniam, & apparebo ante faciem Dei? illud quoque crebrius inculcabat: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto: & heu mihi quia peregrinatio mea prolungata eſt: habitaui cum habitantibus Cædar: multum peregrinata eſt anima mea. dum ergo ſanctiſſima eius anima in ægro adhuc

 cor-

corpore constituta maximis doloribus torqueretur, & tanquam è custodia, uinculisq; corporis solui tandem, & ad cælum euolare gestiret; stabat interea circa eum corona fratrum deflens, ac plorans, quòd talem, ac tantum patrem perditura esset. ipse uero spiritu gaudens, lasso anhelitu omnes consolabatur: lætus erat uultu, & uniuersis circa plorantibus solus ipse ridebat. sed quid diu immoror, & dolorem meum differendo facio longiorem? sentiens optimus, ac præclarissimus Christi pastor iam sibi adesse mortem, & frigescentibus ceteris partibus corporis, atque membrorum solum animæ teporem in sacro pectore palpitare, illa uerba in semetipso susurrare cœpit: Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ: & quàm dilecta tabernacula tua Domine uirtutum: concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. post hæc obmutuit, & clausis oculis

lis, quasi iam mortalia despiceret, puram, & immaculatam animam eodem die, & eadem hora, qua Christus passus, ac mortuus est, Deo creatori suo reddidit. quo facto uideres omnes, ac si sagitta percussi fuissent, attonitos, ac pene exanimes super eum stare. dolore, ac tristitia plena erant omnia: ubique luctus, ubique gemitus, ubique suspiria, & plurima mortis imago. nec ullus consolationi erat locus. omnis nanque, ne uno quidem excepto, in maximum fletum proruperant: uixq; tandem, obligato parumper uulnere, ultimum ei reddiderunt officium. at, ubi per omnem Italiæ partem fama uolans, certos de eius morte detulit nuntios, statim mœrore, ac tristitia implentur omnes. uoluuntur per ora lacrymæ, clamantq; unanimes: heu, heu quia recessit pastor bonus, spes nostra euanuit, totius orbis decus, singulareq; Cassinensis familiæ ornamentum ablatum est, morsq; ipsa non

ne ſolem è mundo tulit, dum talem, ac tantum uirum ſubtraxit? ò mors, quæ omnia diuidis, & amore ſociatos crudelis, ac dura diſſocias, cur tanto nos priuaſti bono? cur optimum Dei amicum, cur ineffabilem Chriſti paſtorem, cur benigniſſimum patrem nobis tam cito eripuiſti? cur non potius talem diutiſſime, & uſque ad plaudite, ut ita dicam, ſinebas uiuere? uiri boni à te certe tolluntur, maliq; , ac doloſi ſolummodo relinquuntur. tolle igitur impios, tolle nefarios, aufer uiolentos, eneca impuros; occide ſordidos, qui omnes utique declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum: & dimitte pios, dimitte honeſtos, dimitte inclytos, ac ſpectatos uiros, qui ingrediuntur ſine macula, & operantur iuſtitiam: Deum adorant, & timent, Chriſtum colunt, homines amant, uirtutem ſectantur, bene, ac beate uiuunt, ſimulq; de omnibus & amicis, & inimi-

cis

cis bene merentur. sed, ò mortalium fragilis, & caduca natura. nisi enim æternitas animæ nobis esset explorata, & Christi fides, quæ charitate uiuit, speq; nutritur, nos ad cælum ferret, cum bestiis, ac iumentis, ut Epicurei arbitrabantur, corporum utique nostrorum una conditio esse uideretur. idem occubitus iusto, & impio, bono, & malo, & mundo, & immundo; sacrificanti, & non sacrificanti. sicut bonus, ita & qui peccat: sicut qui iurat, ita & is qui iuramentum metuit: similiter & homines, & iumenta in fauillam, & cinerem dissoluuntur. gratias ergo tibi Christe seruator tua agimus creatura, quòd, tam potentem aduersarium nostrum dum occideris, occidisti. quid ante miserius homine? qui æternæ mortis terrore prostratus, uiuendi sensum ad hoc tantum acceperat, ut periret. regnauit enim mors ab Adam usque ad Moysem, etiam super eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuari-

uaricationis Adæ. ille, ille ergo te uicit ò mors, ille te iugulauit, qui quondam per Oseam tibi rigidus minabatur: ero mors tua ò mors, ero morsus tuus inferne. illius morte tu mortua es, illius morte nos uiuimus. deuorasti, & deuorata es, dumq; assumpti corporis sollicitaris illecebra, & auidis faucibus prædam putas, interiora tua adunco dente confossa sunt. ante Christum Abraham apud inferos, post Christum latro in paradiso: & idcirco in resurrectione eius multa dormientium corpora surrexerunt, uisaq; sunt in cælesti Hierusalem. tuncq; impletum est illud elogium: surge qui dormis, & eleuare, & illuminabit te Christus. Hæc igitur omnia si diligenter consideremus, cum illo reuerendo nostro pastore quis neget actum esse præclare? nisi enim, quod ille minime putabat, etiam huius uitæ immortalitatem optare uellet, quid boni non est adeptus, quod homini fas esset optare? raptus est,

ne

ne malitia mutaret mentem eius: & quia placuerat Deo, tandem suum consumauit cursum, fidemq; seruauit. in reliquo reposita illi erat corona iustitiæ; quam proculdubio reddidit illi Deus iustus iudex, cum ex tam alto dignitatis, ac uirtutis gradu excessit è uitæ umbra, ut æterna beatitudina perfrueretur. quo circa diutius mœreri hoc eius euentu uereor; ne inuidorum magis, quàm amicorum sit. magis ergo gaudendum, & lætandum est, quòd talem habuimus, quàm dolendum, quod talem amisimus: cum hac siquidem conditione nati sumus: hac uiuamus, ut tandem statuto tempore, & soli Deo præcognito moriamur. sed quid? quotidie certe morimur, quotidie commutamur, & tamen æternos nos esse credimus. sentit ne, obsecro, aliquis nostrum, quando infans, quando puer, quando iuuenis, quando robustæ ætatis, quando senex factus sit? Optima quæq; dies miseris mortalibus

æui prima fugit, ſubeunt morbi, triſtisq; ſenectus, Et labor, & duræ rapit inclementia mortis. quapropter hoc utique meditatum ab adoleſcentia debet eſſe, ut ſapiens ille dixit, mortem ut negligamus: ſine qua meditatione tranquillo eſſe animo nemo poteſt. moriendum enim certe eſt, & id incertum, an eo ipſo die. Platonis quoque ſententia eſt, omnem ſapientum uitam meditationem eſſe mortis. laudant hoc philoſophi, & in cælum uſque ferunt, ſed multo magis apoſtolus: quotidie, inquit, morior per gloriam ueſtram. aliud eſt enim conari, aliud agere, aliud uiuere moriturum, aliud mori uicturum. ille moriturus eſt ex gloria, iſte moritur ſemper ad gloriam. debemus igitur & nos animo præmeditari, quod aliquando futuri ſumus, & quod, uelimus, nolimus, abeſſe longius non poteſt; paratiq; ſemper ſtare, ut, quacunq; hora uenerit ſpōſus, intrare poſſimus cum eo ad nuptias. atque id demum

demum de præclarissimo uiro persuasum habere, illum esse cum Christo, & sanctorum sociatum choris, quod hic nobiscum eminus rimabatur in terris, & existimatione quærebat, ibi uiuentem cominus dicere, sicut audiuimus, sic & uidimus in ciuitate Domini uirtutum, in ciuitate Dei nostri. quod si desiderium absentiæ eius ferre non possumus, non illius, sed nostram uicem doleamus, ita tamen, ut modum adhibeamus in dolore. præcessit enim quò & nos sumus abituri. desideremusq; illum quasi absentem, non quasi mortuum, ut illum expectare, non amisisse uideamur. nobis quidem ille uiuit, semperq; uiuet, qui uirtutem illius, uti par erat, semper amauimus. quæ utique extincta non est, nec nobis solis uersatur ante oculos, qui illam semper in manibus habuimus, sed etiam posteris erit clara, & insignis. nam id quidem solum habemus lucri, quod Christi nobis amore sociamur. charitas

nunquam excidit. hæc ſemper uiuit in pectore. ob hanc talis, ac tantus uir abſens præſens quoque eſſe uidetur. illum modo in cælo habemus mutuæ obſidem charitatis. iungamur ergo ſpiritu, ſtringamur affectu, illum carmina noſtra decantent, illum noſtræ litteræ ſonent, illi noſtrum deſudet ingenium, & quem corpore non ualemus, recordatione teneamus; & cum quo loqui non poſſumus, de eo loqui nunquam deſinamus.

FLAVII ALEXII VGONII

CONSOLATORIA

ad amicum, in morte uxoris.

TVAE mihi litteræ, uir clariſſime, uti ſpeculum fuerunt, in quo equidem feliciſſimum uitæ tuæ curſum, dum mors (inexorabile fatum) dilectiſſimam uxorem è medio abſtulit, interturbatum conſpexi. quapropter nequeo non ſummopere triſtari, atque dolere, talis cum ſis, ut ſemper peroptauerim te omni mea cura, ſtudio, ac diligentia poſſe reddere felicem. ſed, quis cum cælo? quis cum Deo pugnare poteſt? tali nanque conditione nata erat, ut moreretur. tibi nupſerat non perpetuo uictura, ſed die, atque hora, qua utique fata uolebant, ad meliora bona tranſitura. hoſpes huius mundi, non ciuis erat. ſed mortalium cæcitatem equidem ſummopere admi-

 ror,

ror, qui dum minime sciunt, quid uere malum, aut bonum sit, plerunque tristantur, dum gaudere debent, gaudent, dum tristari utique æquum esset. hocq; fit, quia sensus, non ratio, in eis plerunque dominatur. cum nascitur homo, plaudunt omnes; cum è uita discesserit, perhorrescunt cuncti, & anguntur: quippe cum, diutius uiuere, inter bona; citius è contrario mori inter mala computent. sed aliter omnino res sese habet. nam uita præsens nihil aliud profecto boni in se habet, nisi quòd tali uia, atque ratione cuncti homines esse à Deo opt. max. accipiunt. in reliquis uerò totus mortalium omnium uitæ cursus, continua militia est super terram. sed hic uellem, ut diligenter attenderes; si quis ita Martialis, ac sanguine gaudens inuenitur, si quis tam ferrea, & ardenti natura conspicitur, ut perpetuo uelit sine aliqua temporum intermissione militare: bella utique silent, atque prælia tandē

 ali-

aliquando peroptata pacis tempora habent, & nolumus ſpirituales, atque ideo difficiliores mortalium pugnas nunquã ſuum finem habere. dum uiuis, non ne in temetipſo, tanquam in magno, ac præclaro aliquo theatro, ſenſum cum ratione, ſpiritum cum carne continuo pugnantem ſentis? libido præterea, atque innumeræ mortalium curæ, humanaq́; ambitio, tanquam immaniſſimæ beluæ, non ne omnibus horis animum exagitant, dilaniant mentẽ, & ſpiritum miſerrime diſcerpunt? intus enim pugnæ, & foris timores. mundus nanque iſte, tanquam magnus quidam magiſter, perniciosiſſima nobis quæque ſuggerit, ita ut nemo omnino ſit, cui optime non congruat illud Apoſtoli: infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Pati (inquit Neuius poeta) neceſſe eſt multa mortalem mala. & ut nihil mali omnino deſit miſeræ hominum conditioni, non modo cum nobiſmetipſis,

ſis, & cum uniuerſo terrarum orbe pugnandum, ſed aduerſus principes, & potestates, & rectores mundi tenebrarum harum perpetuo quoque dimicandum eſt. et in hac pugna non de auro, non de argento, non de magnifica prouinciarum ditione, non de imperii maieſtate, ac populari gloria; ſed de perpetua animorum ſalute, ac de ſempiterna eorum damnatione agitur. undique igitur tot, tantisq; periculis, & calamitatibus circumſepti, quid eſt cur uelimus uiuere? quandoquidem talis uitæ ratio magis mors, quàm uita dicenda ſit. ſi aliquo morbo detinemur, ſanitatem utique modis omnibus, ac rationibus conſequi curamus. ita ſi militare, uel peregrinari contigerit, nunquam eſt, quin de pace, ac de patria iterum reuiſenda cogitemus. et dum uiuimus, nihil utique de morte meditamur: cum moriendum proculdubio ſit, & id incertum an eo ipſo die. hocq; nobis repentinæ temporum, ac ſæculorum uiciſ-

ſitu-

ſitudines,ſucceſſiua horarum ſpatia,continuus denique uitæ noſtræ lapſus, inſinuat. omnia enim mortalium opera, ut ſapiens ille dicebat, mortalitate damnata ſunt. quare ſic nobis uiuendum, ut omni hora morituris. mens, ratioq; noſtra ita componenda, ut omnia humana perinde poſſideamus, ac ſi mutuo accepiſſemus. Conſidera igitur temetipſum, quia aduena, & peregrinus es in terra, & legitimus cæli ciuis, ac poſſeſſor, bonumq; tuum ita cogita nuſquam hic inueniri poſſe, ſed ſurſum eſſe, quod te uere beatum,te florentem, ac feliciſſimum efficere poteſt. Etſi amabas uxorem, prout ſapientem, ac chriſtianum uirum, quæ mundi ſunt, amare decet, nullatenus te eam amiſiſſe exiſtimabis. ſecurius enim, ac felicius apud Deum, quam apud te nunc uiuit. hocq; lucri habes, quod mutuæ in cælo illam tenes obſidem charitatis. beataq; omnino exiſtens Deum creatorem ſuum orare non deſinit,

nit, ut te optime regat, ac gubernat in uasto huiusce uitæ pelago, citiusq; à tantis procellis, & tempestatibus liberatum, ad felicissimum, atque immortalem beatæ uitæ statum transferat, ac perpetuo diuini amoris uinculo te secum deinctum gloriosissime uiuere faciat. Vale, salutemq; meis uerbis illustri uiro Camillo Aduocato, magnificoq; Calino dices: hasq; litteras, atque duo hæc dialogi mei folia legenda præbe. alia citius aduolabunt.





